

Sequitur distinctio 23 usque ad 32.

Circa distinctionem 23 usque ad distinctionem tricesimam secundam, in quibus Magister tractat de distinctione personalium cum unitate essentiali deitatis, quero utrum essentia divina distinguatur ex natura rei a proprietate personali relativa.

Quod non: quia persona non esset summe simplex, sed in ea esset compositio. Contra: quia de illis et pro illis verificantur contradictoria.

Confirmatur: si summa et tanta est identitas paternitatis ad essentiam, quanta est essentia ad essentiam, igitur tanta est distinctio cuiuscumque a Patre secundum esse relationis et secundum esse essentie. Et tanta est identitas cuiuscumque ad Patrem secundum esse paternitatis et secundum esse essentie. Igitur, quantum est idem Filius Patri secundum essentiam, tantum secundum paternitatem; et tanta est distinctio Filii a Patre secundum esse essentie, sicut secundum esse paternitatis.

Confirmatur: si totale esse Patris sit essentia, igitur communicans Patri esse essentie, equaliter communicat in esse Patris.

Prima conclusio inquirenda: an tanta et omni identitate, qua deitas est in re, eadem deitati sit eadem paternitati. An aliquis modus identitatis in re sit deitatis ad deitatem qui non sit **[249b]** deitatis ad proprietatem relativam.

Et arguitur quod non omni modo in re est deitas eadem paternitati quo est eadem deitati. Sic illud quod est communicabile seu commune tribus personis non est omnino idem ei quod est incommunicabile, aliter perit primum principium, si eidem omnimode conveniunt contradictoria.

Confirmatur: non erit ratio quare de essentia divina non verificentur contradictoria aliqua, vel de essentia divina et sapientia divina, sicut de essentia et proprietate, si tali et tanta et omnino eadem identitate est divinitas eadem paternitati, sicut est eadem deitati vel sapientie divine.

Respondetur primo quod sufficit differentia rationis. Essentia, igitur et relatio differunt tantum secundum rationem. Paternitas enim potest considerari vel per comparisonem ad essentiam, et sic est ratio tantum, vel per comparisonem ad obiectum, scilicet terminum, et sic est res, et

distinguitur ab opposito realiter. Contra primam partem reducitur argumentum prius factum, quia quod non tantum ex parte intellectus, sed ex natura rei est communicabile tribus et est realiter in tribus suppositis, non est omnino idem ei quod non est huiusmodi. Quia contradictio est omnino idem esse communicabile realiter, et non esse huiusmodi.

Preterea, etiam differentia rationis inter essentiam et sapientiam, igitur, de essentia et sapientia verificabilia erunt contradictoria, sicut de essentia et relatione.

Preterea, contra secundam partem responsionis arguitur: paternitas comparata ad essentiam est ratio tantum, igitur comparata ad oppositum non est res. Et econtra: comparata ad oppositum est res, igitur comparata ad essentiam est res. Consequentia probatur, quia quod comparatum alicui est vera res, cuicumque comparetur erit vera res, ut quod comparatum alicui est lignum, nulli comparatum est non lignum.

Item, si paternitas comparata ad essentiam est ratio tantum, igitur non est idem essentie, quia essentia est ens reale et non ens rationis tantum.

Item, aut comparatio paternitatis ad filiationem est comparatio paternitatis ad essentiam, et ita non valet ista distinctio, aut non. Igitur, ante huiusmodi comparisonem essentia non est omnino idem cum filiatione, quia aliquid comparatur ad hoc, et non ad aliud. Aliter, responderetur ad probationem conclusionis, quod probat solum essentiam et proprietatem non esse idem convertibiliter et adequate. Essentia enim non est precise Pater, sed et Filius. Sed Pater non est Filius, nec ex hoc sequitur distinctio essentie a relatione; nec etiam sequitur quod aliquis modus identitatis ex natura rei extra animam sit essentie ad essentiam, qui non sit essentie ad paternitatem, quia convertibilitas non est proprie modus identitatis, sed est modus communis identitati et distinctioni. Stat enim aliquando cum distinctione, aliquando cum identitate. Etiam convertibilitas et inconvertibilitas sunt modi non identitatis, sed extremorum, quia extrema sunt convertibilia vel inconvertibilia.

Contra: hec responsio improbat seipsam, quia illa locutio est impropria et abusiva que addit modum et determinationem ei quod non est determinabile per illam, et cui non est nata convenire talis determinatio, nec modus oppositus.

Sic erit dicendo essentia et relatio sunt idem con-[250a]-vertibiliter, si convertibilitas non est modus identitatis. Unde, hec locutio erit talis sicut si dicatur *a* et *b* sunt idem velociter vel lente, vel musice vel arismetrice.

Item, hic est locus a parte in modo *a* et *b* sunt idem convertibiliter, igitur sunt idem. Et hic est locus a toto in modo *a* et *b* non sunt idem, igitur non sunt idem convertibiliter, igitur cum dico idem convertitur, dico determinabile cum suo modo determinante. Unde, hoc adverbium qualitatis convertibiliter resolvitur in hoc quod dico taliter et tali modo.

Preterea, ad hoc reducitur primum argumentum: quia impossibile est quod omnino idem sit idem convertibiliter cuidam et non sit idem convertibiliter illi.

Respondeo: probabilius est quod non omnino sit eadem essentia proprietati.

Contra: si non omni identitate qua essentia est eadem sibi sit eadem relationi, igitur alia et alia identitate est eadem sibi, et eadem relationi, igitur alia et alia identitas, igitur et alia et alia entitas, quia identitas alicuius non est nisi entitas eius.

Secundo, hoc maxime videretur propter verificationem contradictoriorum. Sed hoc non valet, quia predicata contradictoria possunt dici de diversis signis idem significantibus, et pro eadem re omnino supponentibus. Probatio primo, quia Deus et deitas sunt omnino idem in re, nec est distinctio nisi rationis. Et tamen Deus generat et essentia non generat, et Deus generat Deum, quia in symbolo Deum de Deo. Sed non generat essentiam, secundum Magistrum, distinctione 5, libro primo, et extra De summa trinitate et fide catholica capitulo "Damnamus".

Secundo, essentia in tribus personis est omnino eadem, et essentia in Patre est omnimodo eadem essentie in Filio quo est eadem essentie Patris. Et tamen essentia ut in Patre fundat relationem paternitatis, non filiationis, et cum paternitate constituit personam Patris, non Filii. Hoc autem non est verum de essentia, ut in Filio. Similiter, essentia ut in Filio est formalis terminus generationis communicatus persone per generationem. Non autem hoc est verum de essentia ut in Patre.

Confirmatur: essentia ut in Filio est unita humanitati et assumpsit humanitatem. Non autem est hoc verum de essentia ut in Patre vel Spiritu Sancto, secundum Magistrum libro tertio, distinctione 5, capitulo tertio.

Tertio, hec est vera "domini est servus", et hec est falsa "dominus est servus". Et tamen subiecta significant omnino idem, et supponunt pro omnino eodem. Sed est tantum differentia rationis secundum modos significandi grammaticales, tamen idem potest demonstrari per subiecta illarum, dicendo hic "dominus est servus, huius domini est servus".

Ad primum negatur prima consequentia. Si enim deest aliquis modus identitatis inter essentiam et relationem, qui est essentie ad essentiam, ex hoc non sequitur simpliciter et absolute alietas, igitur nec absolute alia identitas. Non valet etiam consequentia, si alius et alius modus identitatis, igitur alia et alia entitas. Nec probatio valet, quia per te relatio non est nisi essentia et tamen alia et alia relatio non est alia et alia essentia.

Ad secundum conceditur assumptum, maxime si non obstet modus significandi grammaticalis vel logicalis. **[250b]** Ad primam improbationem, in illis propositionibus ut sunt vere, licet subiecta supponunt pro eodem simpliciter, scilicet pro natura communi tribus personis et pro prima persona, non tamen pro omnino eodem omnimodo identitatis quo deitas est eadem deitati. Ad secundam improbationem non est probatio sufficiens, quia non est inconueniens aliquid vere affirmari de aliquo comparato ad aliquid. Et negari de eodem comparato ad aliud, quia non est affirmatio et negatio eiusdem de eodem secundum idem et respectu eiusdem, ut *a* respectu *b* est equale, vel Pater respectu *c* est subduplum vel Filius. Sed de aliquibus subiectis simpliciter et absolute verificari contradictoria, et quod illa subiecta affirmantur de se invicem per omnimodam identitatem, sicut idem de seipso videtur tanta impossibilitas, sicut si sumeretur idem subiectum vocaliter; immo, cum idem comparatur diversis, aut non accipitur idem subiectum, aut non sunt predicata contradictoria, quia ille habitudines ad diversa se tenent ex parte predicati, si sit debitus modus enuntiandi, ut dicendo *a* respectu *b* est equale, et respectu *c* non est equale. Hoc enim est dicere quod *a* est equale ipsi *b*, et non est equale ipsi *c*. Similiter, in proposito dicere quod essentia ut in Patre fundat paternitatem, non filiationem, et in Filio econtra, non est nisi dicere quod essentia et relatio paternitatis est in Patre, non in Filio, et econtra quod Filius habet essentiam et filiationem, non Pater. Similiter, dicere quod essentia in Filio est terminus formalis communicatus per generationem est dicere quod Filius habet

essentiam ab alio, non Pater. Similiter, dicere quod essentia ut in Filio est unita humanitati, non ut in Patre, est dicere quod Filius habens formaliter essentiam et filiationem est unitus humanitati; non autem Pater seu essentia cum paternitate.

Ad tertiam improbationem potest dici primo quod modus significandi grammaticalis impedit in proposito, aut quamvis similes modi significandi grammaticales sumantur; adhuc aliquid vere affirmatur de essentia et deitate, quod negatur de paternitate et proprietate et econtra.

Item, si "domini est servus" et "dominus non est servus", conceditur quod "dominus" non est "domini", quia si "dominus" est "domini", igitur dominus est servus. Subiecta, igitur, non affirmantur de se invicem universaliter per omnimodam identitatem in forma qua eis attribuuntur illa predicata. Et ita argumentum posset reduci ad oppositum: quod paternitas non erit essentia per omnimodam identitatem.

Item, impossibile est contradictoria predicata verificari de aliquibus subiectis, sic omnino idem significantibus et, sic pro omnino eodem supponentibus quod una predicatio significat hoc esse tale, et altera significet hoc omnino idem non esse tale, hoc enim destruit primum principium. Sic autem esset in proposito de essentia et proprietate, sed non est impossibile contradictoria predicata verificari, sic de aliquibus subiectis significantibus idem, et supponentibus pro eodem: quod una enuntiatio significet hoc non esse illud, et alia significet huiusmodi esse illud hic, enim nulla apparet repugnantia, nec in re nec in voce; nec apud philosophos nec apud catholicos; nec est contradictio formalis vel implicita, sicut in primo casu.

Item, licet in forma enuntiandi et in figura loquendi sit idem subiectum in utraque differens secundum modos significandi **[251a]** grammaticales, tamen implicite, et perficiendo huiusmodi enuntiationem, et reducendo ad propriam et congruam formam enuntiandi illud quod est subiectum in una est pars predicati in alia. Hec enim non est propria et directa et perfecta enuntiatio 'domini est servus'. Sed, si reducatur in formam debitam et perfectam, dicetur quod aliquod ens, puta Deus, vel angelus, vel homo est servus Domini; vel quod aliquis Dominus habet servum, vel huiusmodi.

Secunda conclusio inquirenda: an essentia divina distinguatur aliqua distinctione ex natura rei a proprietate relativa. Ita quod non solum essentia non sit omni modo identitatis eadem

paternitati in re extra, quo est eadem essentie, nec solum desit aliquis modus seu gradus identitatis, immo sit ibi aliquis modus seu gradus distinctionis in re; sic quod essentia et paternitas sint aliquantulum distincta obiective conceptibilia formaliter in existentia persone patris. Dicunt enim quidam quod essentia et paternitas nullo gradu seu modo distinctionis ex natura rei distinguuntur in persona patris, nec est ibi pluralitas quecumque, licet essentia et paternitas non sint formaliter idem vel non convertibiliter et adequate. Ita quod si sit solum negatio cuiusdam modi, non negatio identitatis nec privatio distinctionis. Si enim aliquis modus vel gradus forme deest alicui, non sequitur quod illa forma simpliciter desit, vel quod forma contraria assit. Et per consequens, etiam concederetur quod distinguitur formaliter si ly 'distinguitur' importat solum negationem, quia equivalent huic quod est non esse idem formaliter. Et tamen non conceditur quod formaliter distinguitur, quia preponendo modum denotatur affirmatio modi.

Arguitur igitur primo: quod distinguitur ex natura rei in persona patris sic illud quod existit in re et est realiter nec formaliter tres persone est aliquantulum in se distinctum ab eo quod existit in re, et non est realiter nec formaliter tres persone. Sic est de essentia et proprietate, igitur. Maior probatur, quia contra evidentiam primi principia videtur quod sine quacumque distinctio in re, idem sit tres persone et non sit tres persone, sicut quod idem omnimode idem sit ei non sit huiusmodi. Et quanta apparet impossibilitas verificari simul predicata contradictoria de eodem subiecto, vel verificari predicatum compositum ex partibus contradictionis de eodem subiecto supponente pro omnino eodem obiecto intelligibili, tanta apparet impossibilitas illa predicata contradictoria verificari de diversis subiectis supponentibus pro omnino illo eodem, pro quo supponeret idem subiectum in propositionibus contradictoriis; vel in propositione ex predicato composito ex contradictoriis circumscripto impedimento ratione modorum significandi grammaticalium vel logicalium. Sicut tam impossibile est quod hec albedo sit b, et quod hic color non sit b, quam impossibile est quod hic color sit b et non sit b, supposito quod hic color sit hec albedo sine distinctione, igitur tam impossibile est quod essentia sit tres persone, et quod paternitas non sit tres persone quam impossibile est quod essentia sit tres persone, et quod essentia non sit tres persone, si omnino idem sine distinctio sit essentia et paternitas.

Confirmatur. Ille propositiones sunt ambe eque vere vel eque false que affirmant, vel que negant uniformiter idem predicatum de subiectis supponentibus pro omni- **[251b]** –no eodem, et demonstrantibus omnino idem sine distinctione. Patet, quia si ita est, sicut una significat, ita est

in re, sicut alia significat. Sed ita erit de istis ‘hec essentia est tres persone’, ‘hec paternitas est tres persone’.

Respondetur quod illa de quibus vel pro quibus verificantur contradictoria distinguuntur realiter vel sunt res distincte, et sunt aliqua distincta realiter, sic quod unum est aliqua res et reliquam non est illa res. Et sic conceditur quod essentia et paternitas sunt res distincte. Sic quod essentia est aliqua res, puta filiatio et paternitas non est illa res. Non igitur conceditur quod essentia et relatio distinguantur realiter, aut quod sit distincta realiter, ut ly ‘distincta’ teneatur principaliter et adiective. Sed conceditur quod sint res distincte, et quod sunt distincta, ut ly ‘distincta’ teneatur nominaliter et substantive, quia sensus est quod essentia est aliqua res, et paternitas non est illa res. Et conceditur ultra quod essentia et relatio in divinis distinguuntur formaliter, quia aliqua distingui formaliter non est aliud quam quod unum illorum est aliqua res absoluta vel relativa, et reliquum non est illa res.

Contra: hec responsio coincideret in idem cum illa responsione, qua dicitur quod essentia et paternitas sunt idem inadequate et inconvertibiliter, quia essentia sic est Pater quod etiam est quedam alia res, et Pater non est illa alia res. Sed ex his responsionibus videtur haberi propositum, scilicet quod in Patre paternitas distinguuntur aliququaliter ex natura rei ab essentia et distinctione propria preter illam distinctionem qua distinguitur a Filio. Probatum hoc, primo ex verbis responsionis, quia dicit quod essentia et paternitas sic sunt distincta formaliter quod unum eorum est aliqua res et alterum non est illa res. Ex quibus verbis arguitur sic quod est aliquo modo alterum a paternitate, et minus alterum quam filiatio est alterum propria distinctione, et alteritate minori quam sit distinctio paternitatis a filiatione. Sed essentia est huiusmodi, quia responsio dicit quod unum istorum est aliqua res, et alterum seu reliquum non est illa res, igitur essentia est quid alterum a paternitate. Sed non est tam alterum quam filiatio, quia filiatio non est paternitas nec filiatio est utraque illarum rerum. Sed essentia est utraque res, scilicet paternitas et filiatio.

Item, contra responsionem: illud intelligibile positivum actuale, de quo vel pro quo verificatur aliquod predicatum, est distinctum aliququaliter ab omni positivo actuali, de quo vel pro quo falsificatur illud predicatum. Sed aliquod predicatum verificatur de essentia et pro essentia divina quod falsificatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto, sive simul et coniunctim, sive divisim sumptis; igitur essentia est aliquod intelligibile distinctum aliququaliter ab omnibus illis sive simul

divisim sumptis. Et tamen nulla proprietas vel persona est distincta ab omnibus illis, tam simul quam divisim, quia distingueretur a se. Maior patet: quia etiam secundum adversarium contradictoria predicata non verificantur de aliquibus, nisi illa sint aliqua distincta; igitur, omnia illa, de quibus verificantur, distinguuntur ab omnibus illis de quibus et pro quibus falsificatur. Minor probatur, quia verum est quod essentia est tres persone simul et divisi, sumendo hoc predicatum compositum. Similiter, verum est quod essentia nec generat nec generatur sive nec producit, nec producit, sumendo propositionem de [252a] predicato copulato. Similiter, essentia est indivisa et indistincta et innumerata, hec autem falsa sunt de qualibet persona divisim sumpta, et de duabus vel tribus simul sumptis. Econtra etiam aliquid verificatur de Patre quod falsificatur de essentia, nec tamen de Filio falsificatur, vel Spiritu Sancto. Puta quod Pater producit vel producit, ut est de extremo disiuncto, unde si aliquid predicatum falsificaretur de patre et verificaretur de essentia per alia persona; vel si econverso aliquid predicatum verificaretur de Patre quod falsificaretur de essentia pro alia persona a Patre. Ita quod nihil verificaretur de essentia, nisi pro hac proprietate sive persona pro illa, tunc responsio predicta videtur sufficere. Sed quia aliquid verificatur de essentia, quod falsificaretur de Patre, et etiam de qualibet alia persona, et econtra: aliquid verificatur de Patre quod falsificatur de essentia, non pro alia persona. Videtur quod essentia propria distinctione aliquali distinguatur a paternitate et filiatio alia maiori distinctione distinguatur a Patre.

Confirmatur: si aliquid predicatum falsificatur de Patre, quod verificatur de essentia, oportet secundum te quod essentia sit quedam res alia a Patre, scilicet filiatio; igitur, si illud predicatum eque falsificatur de illa alia re, scilicet filiatione, sicut de Patre, oportet quod essentia sit aliqua res alia a Patre et filiatione secundum te, puta quod sit Spiritus Sanctus; igitur, si illud predicatum eque adhuc falsificatur de illa tertia re, sicut de duabus prioribus et tamen verificatur de essentia, oportet quod essentia sit quoddam intelligibile distinctum aliqualiter ab illis tribus rebus.

Preterea, ad principale et contra responsionem datam sic. Illud intelligibile positivum actuale pro quo supponit subiectum cuiusdam propositionis vere distinguitur aliqualiter ab omni intelligibili positivo, pro quo non supponit subiectum propositionis vere, etiam illud intelligibile positivum pro quo verificatur propositio aliqualiter distinguitur ab omni intelligibili positivo, pro quo non verificatur. Sed falsificatur illa propositio. Sic est de essentia et tribus proprietatibus

relativis, igitur. Maior patet per evidentiam primi principii, et quia eadem propositio esset simul vera et falsa. Minor probatur, quia in istis propositionibus essentia est idem proprietati relative inconvertibiliter et inadeguate: ‘Essentia est tres persone simul et divisim’, ‘Essentia est communicabilis tribus personis, et cuilibet earum’, ‘Essentia est tres persone et quelibet illarum, et quelibet due illarum’, ‘Essentia est nec producens nec producta’, ‘Essentia est indistincta in tribus personis, et in qualibet’. Non enim est assignare pro quo intelligibili supponat subiectum in istis et pro quo verificatur, nisi ponatur essentia aliquod intelligibile aliquo distinctum ab omnibus proprietatibus, iuxta illud dictum Magistri, libro primo, distinctione 5, capitulo primo. Dicimus quod essentia nec generat, nec generatur, et nomine essentie intelligimus divinam naturam que communis est tribus personis et tota in singulis.

Confirmatur: in predictis propositionibus subiectum supponit pro aliquo intelligibili positivo, aut igitur pro voce, aut pro conceptu. Et patet quod non, aut pro relationibus, vel suppositis, et hoc non, quia false essent igitur, pro aliquo intelligibili aliquo distincto a predictis.

Confirmatur: si aliquod predicatum reale verifi- **[252b]** –cetur de homine vel aliquo termino significante naturam specificam et non verificaretur de illo termino communi supponente, nec pro voce, nec pro conceptu, nec pro aliquo suppositorum singularium, sequeretur esse in re aliquam entitatem communem aliquo distinctam a supposita et differentiis individualibus ad vitandum contradictionem, igitur similiter hic.

Confirmatur: aut in illis subiectum supponit pro omni intelligibili quod est omnino essentia divina, aut pro nullo intelligibili quod sit essentia divina. Et patet quod non aut pro aliquo, et pro aliquo non, igitur ibi sunt formaliter intelligibilia aliquo distincta, pro quorum una supponit et pro reliquo non illa non sunt Pater et filiatio vel spiratio, quia non magis supponit pro uno istorum quam pro reliquo, igitur.

Preterea, aut omne intelligibile quod est Pater generat, aut nullum intelligibile quod est Pater generat, aut aliquod intelligibile quod est Pater generat et aliquod intelligibile quod est Pater non generat. Non primum, quia essentia generaret. Nec secundum, quia Pater non generaret. Si tertium, igitur est ibi formaliter alterum, et alterum intelligibile, quorum utrumque est Pater et unum generat, et alterum non generat. Illud quod generaret est Pater vel paternitas. Illud autem

quod est Pater, et non generat non est Filius, nec Spiritus Sanctus, quia non sunt Pater, igitur illud est deitas communis, igitur deitas est intelligibile alterum a paternitate et ceteris personis.

Preterea, Pater habet formaliter aliquam realitatem communicabilem Filio et habet aliquam realitatem non communicabilem Filio, igitur habet formaliter quedam distincta aliququaliter; vel sic aut Pater communicat Filio omne positivum quod est, et quod habet formaliter, aut nullum aut aliquod, et aliquod non. Si primum, igitur communicat ei paternitatem. Si secundum, igitur non communicat ei deitatem. Si tertium, igitur aliquod positivum est formaliter in Patre quod communicatur Filio, et aliquod positivum quod non communicatur; igitur, positivum; et positivum, igitur aliququaliter plura intelligibilia positiva. Confirmatur, inductive arguendo sic hec paternitas, que est essentia divina producit vel producitur hec filiatio, que est essentia divina, producit vel producitur hec spiratio, que est essentia divina, producit vel producitur igitur, omnis essentia divina et omne quod est essentia divina producit vel producitur.

Quero: aut hic est facta inductio sufficiens in omne illud existens in re quod est essentia. Et tunc conclusio esset vera aut non, igitur omissum est aliquod intelligibile formaliter existens in divinis quod in re est essentia. Sed non omisi aliquam proprietatem relativam, igitur in re est ibi aliquod intelligibile preter proprietates relativas, iuxta dictum Augustini 7 De trinitate, capitulo primo, “omnis essentia que relative dicitur est aliquid excepto relativo”.

Preterea, ex eo quod ab adversariis essentia, et paternitas ponuntur non esse idem convertibiliter et adequate; aut ex eo quod ponuntur distingui vel non esse idem formaliter, arguitur propositum. Sic autem omne intelligibile quod est Pater vel formaliter in Patre est idem essentie convertibiliter et adequate; aut nullum, aut aliquod, et aliquod non. Si tertium, habetur propositum. Si primum, igitur paternitas est idem essentie convertibiliter et adequate et econverso. Si secundum, igitur essentia non est idem **[253a]** essentie convertibiliter et adequate, vel potest sic argui. Omne intelligibile quod est Pater est idem Patri, convertibiliter deitas est intelligibile idem Patri, igitur. Maior probatur: aut omne intelligibile quod est Pater est idem Patri convertibiliter et propositum. Aut nullum, igitur paternitas et generatio activa non est idem Patri convertibiliter, quod est falsum. Quia omne quod est paternitas est Pater et econtra, aut aliquod intelligibile quod est Pater non est idem convertibiliter Patri, et aliquod intelligibile quod est Pater non est idem Patri convertibiliter. Igitur, ibi est alterum, et alterum objective

intelligibile; illud autem quod est Pater et tamen non idem Patri convertibiliter non est Filius, nec Spiritus Sanctus, quia neuter istorum est Pater, ergo.

Preterea, cum intellectus humanus vel angelicus format has duas propositiones ‘hec essentia est idem essentie convertibiliter et adequate’, ‘hec paternitas est idem essentie convertibiliter et adequate’, quero de illo intelligibili pro quo supponi subiectum prime, et ad quod intellectus aspicit et demonstrat per subiectum prime aut precise est illud intelligibile quod exhibetur et demonstratur per subiectum secunde, et pro quo supponit subiectum secunde, et tunc non magis est una vera, quam reliqua, nec magis ita est sicut una significat, quam sicut reliqua. Aut non est idem precise, aut igitur illud plus est Filius vel Spiritus Sanctus. Et patet quod non, quia non sunt paternitas et quia haberetur propositum secundum quod sunt intelligibilia distincta ab intelligibili, demonstrato pro subiectum primae.

Preterea, ubi inadequatio, ibi aliqua inadequata, etiam inequalia, igitur huiusmodi inequalia et inadequata sunt plura et distincta. Item, vitare unam contradictionem incurrere aliam non est sufficienter solvere et respondere. Sed vitare contradictionem de communicabili, et incommunicabili vel de generare et non generare per hoc quod essentia non sit eadem proprietati convertibiliter et adequate est incidere in alias contradictiones, et in eandem difficultatem, et in eadem inconvenientia, quia quam impossibile est quod idem omnino indistinctum sit communicabile et non communicabile tam impossibile est quod sit idem convertibiliter et adequate cuidam, et non sit idem convertibiliter et adequate eidem.

Preterea, hec propositio est falsa deitas est eadem convertibiliter paternitati, et hec est vera deitas est eadem paternitati non convertibiliter et pro eodem intelligibili est hec vera et illa falsa. Aut igitur illud intelligibile, pro quo supponit subiectum in utraque et pro quo prima est falsa et secunda est vera, est omnino idem quod paternitas et hoc non, quia verum esset quod paternitas est eadem paternitati non convertibiliter, et falsum esset quod paternitas esset idem paternitati convertibiliter; aut est filiatio, aut spiratio passiva, et hoc non, quia non est eadem paternitati; aut est aliquod intelligibile distinctum ab istis et propositum. Per predicta potest improbari quedam responsio quam ponunt aliqui dicentes, quod ex verificatione contradictoriorum arguitur distinctio in re. Si aliquod predicatum affirmatur simpliciter de aliquo et de altero negatur simpliciter et determinate, sic quod per nullam circumlocutionem potest vere affirmari de illo altero non est sic in proposito, quia licet dicatur quod paternitas non est communicabilis,

tamen per aliquam circumlocutionem potest communicabile vere affirmari de Patre, puta dicendo Pater est illa res, et substantia que est communicabilis.

Contra: licet hec circumlocutio impediatur inferri distinctionem essentialem vel realem, tamen non impedit, immo infert illa aliquantulum distingui, quia sumendo affirmationem simpliciter [253b] et absolute veram, et eiusdem predicati negationem simpliciter et absolute veram impossibile est intelligibile, pro quo supponit subiectum huiusmodi esse omnino idem sine distinctione cum intelligibili, pro quo supponit subiectum illius. Et de illis propositionibus possunt reduci argumenta predicta.

Preterea, ad hoc videtur esse Augustinus 7 De trinitate, capitulo tertio, “Eo quippe verbum quo Filius et eo Filius quo verbum, non eo verbum quo sapientia, eo vero sapientia quo esse”.

Item, Anselmus, De processione Spiritus Sancti, “non idem”, inquit, “significat nomen Patris et Filii quod nomen Dei, non enim idem est esse Deum quod esse Patrem vel Filium”. In oppositum arguitur primo: hoc videtur derogare simplicitati divine. Persona enim non esset summe simplex, quod est falsum, ut habetur extra De Summa Trinitate, capitulo *Firmiter* et capitulo *Damnamus*. Consequentia probatur primo: quia identitas proprietatis ad essentiam est simplicitas persone divine, et est illud quo salvamus simplicitatem divine persone. Patet per Augustinum secundo De trinitate, capitulo 10. Ideo Deus simplex est quia est quicquid habet excepto relativo. Pater enim habet Filium et non est Filius, igitur si ibi est summa simplicitas, ibi est summa identitas, igitur excluditur omnis distinctio, quia quanto maior identitas, tanto minor distinctio.

Secundo, probatur consequentia constitutum formaliter et intrinsece ex pluribus principiis constitutivis est compositum ex natura rei; et per consequens non summe simplex persona erit huiusmodi, quia includit formaliter quedam plura, scilicet essentiam et proprietatem ex quibus intrinsece constituitur, constitutio etiam et compositio idem sunt. Ex hoc sequitur ultra quod persona erit minus simplex quam essentia, quia continet formaliter essentiam et aliquid distinctum ultra.

Confirmatur. Sicut plura distincta constitutiva simpliciter ad compositionem simpliciter, ita plura constitutiva distincta secundum quid, et sicut principia constitutiva distincta realiter ad

compositionem realem: sic distincta formaliter ad compositionem formalem, et ad componi formaliter, igitur in persona erit compositio formaliter et compositio secundum quid, et ibi erit totum et pars secundum quid.

Tertio, qualem ordinem realiter haberent aliqua, si distinguerentur realiter eundem formaliter habent, ubi distinguuntur formaliter, quia talis ordo sequitur rationes formales, que ibi reperiuntur distincte. Sed, si essentia et proprietas distinguerentur realiter facerent compositionem realem per modum actus et potentie, igitur si formaliter et ex natura rei distinguuntur, sequitur quod faciunt compositionem ex natura rei. Ex hiis patet consequenter quod hoc repugnat primitati persone Patris. Probo, quia prima persona esset principiata, includeret enim formaliter principia constitutiva. Consequens est falsum, quia ibi non est principium, et principiatum nisi per modum originis. Pater autem non habet originem ab alio.

Secundo principaliter hec distinctio videtur repugnare perfectioni divine. Probo primo, quia divinam essentiam esse simpliciter quicquid habet est simpliciter perfectionis, igitur esse idem formaliter et summe est summe perfectionis.

Secundo, esset perfectior quam essentia. Probo, quia conterer formaliter essentiam, et ultra adderet gradum positivum extra, vel qui non esset minoris [254a] perfectionis quam deitas alioquin in persona esset imperfectio

Tertio, una persona esset perfectior alia. Probo, quia sumendo proprietates relativas in sua precisione, ut distinguuntur ab essentia aut sunt eiusdem rationis; et hoc non, quia utraque esset paternitas vel utraque esset filiatio aut alterius rationis, igitur una esset perfectior alia.

Quarto probatur consequentia, quia paternitate ut distinguitur ab essentia aut est fruendum aut utendum. Si primum, igitur ut sic est eque perfecta sicut deitas, igitur filio deest tanta perfectio, quanta est deitas. Et consequenter in patre utrumque erit deitas, et ita deitates plures formaliter. Si secundum, igitur utendum est persona, contra Augustinum primo *De doctrina christiana*. Et ponitur libro primo, distinctio prima.

Tertio principaliter, in divinis erit quaternitas ex natura rei. Consequens est falsum extra *De summa trinitate*, capitulo "Damnamus", probatio consequentie: quia in Patre preter alias duas personas erit distinctio. Sed ubi distinctio, ibi pluralitas, quia ibi extrema distinctionis, ubi autem

pluralitas, ibi unitas et unitas, igitur, ibi numerus in persona, igitur patris formaliter est numerus. Et quia preter tres relationes ponis quartam essentiam communem relationibus et distinctam ab eis ex natura rei.

Quarto, in divinis natura non minus est idem proprio supposito quam in creaturis. Sed ibi nulla est necessitas ponendi distinctionem ex natura rei, quod si poneretur non esset perfecta simplicitas et actualitas pura, igitur.

Quinto, paternitas inquantum paternitas, secundum suam rationem formalem accepta, et in sua precisione, ut distinguitur ab essentia. Aut est formaliter ens et res aut non. Si primum, igitur est ens distinctum et res distincta ab essentia et distinguit realiter personam ab essentia. Probatio consequentie: tum quia paternitas quicquid est ut sic accepta ipsa est illud distincte, tum quia si ut sic accepta est ens, igitur habet propriam entitatem, igitur proprium esse, igitur propriam essentiam, quia esse dicitur ab essentia, sicut sapere a sapientia, secundum Augustinum de trinitate tertio. Si secundum, contra: tum quia paternitas ut sic accepta nihil esset, et esset formaliter non ens, tum quia ubi formaliter reperitur ratio inferioris et ratio superioris. Sed ibi est formaliter ratio relationis et paternitatis, igitur et ratio entis; tum quia paternitas creata est formaliter ens, igitur et increata, tum quia in persona divina esset imperfectio, tum etiam quia habet propriam unitatem et divisionem, igitur et propriam entitatem.

Sexto, si distinguitur ex natura rei, et non solum secundum rationem, sequitur quod distinguitur realiter et simpliciter. Probatio consequentie multipliciter. Primo, quia hec distinctio ponitur propter verificationem contradictoriorum de illis, igitur eo modo distinguuntur et inseruntur distinguere quomodo verificantur de illis contradictoria, sed verificantur realiter et simpliciter, quia essentia est simpliciter et realiter communicabilis et non paternitas. Sicut igitur tu arguis quod eidem formaliter et secundum quod eidem formaliter, non conveniunt contradictoria formaliter, ita diceretur quod eidem realiter non conveniunt contradictoria realiter. Secundo, illa distinguuntur realiter, quorum unum vere negatur ab altero simpliciter et absolute, quia identitas realis sufficit ad veritatem affirmationis. Sed ea de quibus verificantur contradictoria, negantur vere de se invicem simpliciter et absolute. Probatur per syllogismum expository sic hec paternitas est idem formaliter huic paternitati, hec paternitas non est idem formaliter huic essentia, nec est formaliter hec essentia, igitur hec essentia [254b] non est hec paternitas, vel sic

hec paternitas est distincta ex natura rei ab hac essentia, hec essentia non est distincta ex natura rei ab hac essentia, igitur hec essentia non est hec paternitas.

Tertio, omne quod est aut est ens reale aut rationis, igitur omnis distinctio est realis vel rationis. Consequentia probatur, quia distinctio est passio entis. Passio autem non excedit subiectum, et quia distinctio contrahit differentias ex extremis, scilicet fundamento et termino. Confirmatur: omnis unitas est unitas realis vel rationis, igitur et omnis pluralitas, igitur et omnis distinctio.

Quarto, que aliquo modo seu aliqua distinctione distinguuntur, distinguuntur per locum a parte in modo vel ab inferiori. Sed essentia et relatio aliquo modo, et aliqua distinctione distinguuntur secundum te, igitur distinguuntur, igitur non sunt idem, igitur non sunt idem realiter a superiore negative.

Quinto, esse tale ex natura rei et esse tale realiter. Aut convertuntur aut esse tale et huiusmodi ex natura rei est superius ad esse huiusmodi realiter. Sed que distinguuntur in superiori seu secundum superius distinguuntur in inferiori, seu secundum inferius, igitur si *a* et *b*, distinguuntur ex natura rei, sequitur quod distinguuntur realiter. Confirmatur: distinguuntur ex natura rei, igitur non sunt omnino idem realiter.

Sexto, quod convenit aliquibus ex suis propriis rationibus formalibus convenit eis simpliciter. Sed distingui convenit essentie et proprietati ex suis rationibus propriis formalibus et quidditativis, igitur convenit eis simpliciter distingui, igitur simpliciter distinguuntur.

Septimo, quicquid est in divinis est ibi verissime et proprissime et perfectissime, igitur si ibi est distinctio, sequitur quod sit ibi verissima et perfectissima et in summo gradu, igitur non minima nec secundum quid.

Octavo, probatur eadem consequentia: si inter essentiam, et relationem est aliqua distinctio vel aliquis modus non identitatis, igitur aliqua non identitas, igitur nulla identitas. Consequentia ultima probatur: tum quia negatio confundit terminum mobiliter et distributive, tum quia ad affirmativam de predicato infinito, sequitur negativa de predicato finito, igitur si inter illa est aliqua non identitas, sequitur quod in illa non est aliqua identitas, igitur nulla identitas. Deinde, contra illum modum loquendi qui dicitur aliquod distingui formaliter et esse idem realiter.

Primo, realitas essentie est omnino eadem formalitati essentie et de realitate et formalitate relationis simpliciter aut non. Si primum, igitur sicut relatio est eadem essentie realiter, ita et formaliter. Si secundum, cum non distinguantur realiter, igitur distinguuntur formaliter, et sunt idem realiter. Stando igitur precise in realitate et formalitate essentie, quero de realitate qua sunt idem realiter, et formalitate qua distinguuntur formaliter aut sunt omnino idem, et propositum ut prius, aut distinguuntur ex natura rei, et ita processus in infinitum. Aut erit status ad aliqua distincta formaliter, et tamen habentia eandem formalitatem, sicut eandem realitatem. Et eodem modo si ponantur idem realiter et distingui quidditative, vel modaliter ex natura rei potest argui de quidditate et modalitate, sicut de formalitate.

Secundo, que distinguuntur realiter sunt distincte res sive diverse, igitur que distinguuntur formaliter sunt diverse formaliter.

Tertio, que distinguuntur materialiter distinguuntur realiter, igitur et que distinguuntur formaliter, quia formaliter et actus non minus distinguit quam materia.

Quarto, [255a] divina essentia, ex eo quod est infinita realiter et simpliciter, est simpliciter et realiter. Quicquid habet igitur ex eo quod est infinita formaliter est formaliter quicquid habet, et eo modo est idem quomodo habet illud, habet autem formaliter illud, igitur est idem formaliter. Eodem modo ex eo quod simpliciter et realiter est summe simplex est simpliciter et realiter quicquid habet igitur ex eo quod est formaliter summe simplex est formaliter quicquid habet.

Quinto, nullum distinctum formaliter ab essentia divina est essentia divina. Sed per te paternitas est distincta formaliter ab essentia divina, igitur paternitas non est essentia divina. Conclusio est falsa, et non maior probatur, quia nulla essentia divina est distincta formaliter ab essentia divina, igitur per conversionem nullum distinctum formaliter ab essentia divina est essentia divina.

Sexto, sicut se habet distinctum realiter ad idem realiter, sic distinctum formaliter ad idem formaliter, igitur a transmutata proportionem, sicut se habet distinctum realiter ad distinctum formaliter, sic idem realiter ad idem formaliter. Sed omne distinctum realiter est distinctum formaliter, igitur omne idem realiter est idem formaliter.

Respondeo sine assertionem et sine preiudicio melioris sententie quod secundum ea que fides catholica et Ecclesia tenet de trinitate personarum divinarum cum unitate essentie, videtur quod

essentia non sit omnino idem ex parte rei paternitati, et quod paternitas sit quoddam intelligibile positivum inexistens formaliter persone divine et essentia. Similiter et quod non omni modo identitatis est essentia idem paternitati quo est idem essentie.

Et possunt dici quedam intelligibilia positiva aliquo modo et secundum quid et quoddam gradu distinctionis minimo distincta ex natura rei. Et ratio est: quantum secundum fidem et determinationem est ecclesie aliquod predicatum vere affirmatur absolute de paternitate quod falsificatur de essentia et divinitate et non pro alia persona a Patre, immo falsificatur de qualibet alia persona, ut generare. Et econtra, aliquid verificatur de essentia quod falsificatur non solum de Patre, sed de qualibet persona, et de omnibus personis collective sumptis, igitur oportet in re esse aliquod intelligibile pro quo verificentur huiusmodi propositiones, quod est aliquo modo non idem intelligibili pro quo non verificatur. Notandum tamen quod sicut non est ibi distinctio simpliciter, ita non sunt ibi duo vel plura simpliciter et absolute, nec convenienter dicitur quod sint due entitates vel realitates vel quidditates vel formalitates, sed potius quedam obiective intelligibilia non omnino idem, sed habentia aliquem modum et gradum distinctionis minimum et secundum quid. Notandum etiam quod convenientius et securius dicitur quod non sunt omnino idem quam distinguantur, ut notetur negatio modo non negatio identitatis. Notandum etiam quod sive dicatur non omnino idem, sive aliquo modo distinguantur convenientius dicitur quod non sunt idem convertibiliter et adequate quam distinguantur vel non sint idem quidditative, vel formaliter, immo possunt dici esse idem quidditative, quia eadem quidditas et idem formaliter, quia idem vere et proprie. Circa quod sciendum quod esse huiusmodi formaliter sumitur interdum ut distinguitur contra esse huiusmodi virtualiter et causaliter, ut sol dicitur calidus non formaliter, sed virtualiter, vel ut distinguitur contra esse huiusmodi equivalenter et eminenter, ut Deus dicitur esse omnia, et habens Deum dicitur habere omnia. Alio etiam modo ut distinguitur contra esse huiusmodi improprie et metaphorice et in similitudine vel representatione, ut urina dicitur sana non formaliter et imago Herculis dicitur Hercules non formaliter sed representative. Et hiis modis licet “formaliter” est terminus prime intentionis **[255b]** et sic dicendum quod Pater est deitas formaliter et quod sunt idem formaliter. Alio modo ut licet “formaliter” est synchategoreuma et terminus secunde intentionis, et est logica determinatio predicationis et facit propositionem de actu signato et facit terminos teneri simpliciter. Et hoc modo esse huiusmodi formaliter accipitur interdum pro esse huiusmodi secundum predicationem propriam et directam vel denominationem adiectivam, et ut distinguitur contra

esse huiusmodi non secundum predicationem propriam et directam, sed identitatem et substantivam, sicut diceretur quod imago non est aurum formaliter, sed materialiter et identice, et iustitia divina non est sapientia divina formaliter, licet identice. Sed Deus est iustus et sapiens formaliter, et sic deitatem esse vel non esse formaliter paternitatem est multum impertinens ad distinctionem quamcumque ex parte rei. Hoc etiam modo posset dici quod Pater est Deus formaliter et quod paternitas est deitas formaliter, quia est predicatio quasi superioris de inferiori vel coloris de minus communi. Alio modo esse huiusmodi formaliter secundum aliquos est esse huiusmodi per se primo modo. Sed hic modus accipiendi li “formaliter” non videtur haberi a philosophis nec a doctoribus antiquis. Sed videtur sermo inventus ad placitum, quia Deus est formaliter iustus et misericors et omnipotens et infinitus et incorruptibilis, et tamen non est predicatio per se primo modo, quia conceptus predicati videtur respectivus ad extrinsecum vel includere negationem non autem conceptus subiecti. Similiter homo est formaliter risibilis et tamen non per se primo modo. Item, quamvis iste modus essendi formaliter huiusmodi foret conveniens, tamen est impertinens ad distinctionem vel identitatem in re, quamvis enim omni modo identitatis quo deitas est eadem deitati. Sic Deo omnipotenti idem et misericordi, tamen una predicatio est, per se primo modo, et non alia notatur, igitur solum differentia predicabilium. Item, sic est sumendo li “formaliter” potest dici quod Pater est Deus formaliter, et quod paternitas est deitas formaliter, quia hec predicatio videtur reduci ad primum modum dicendi per se, quia est predicatio quasi superioris vel coloris de per se inferiori vel quasi inferiori. Si igitur potest dici quod essentia et paternitas sunt idem formaliter et quidditative, licet sint aliquantulum distincta vel non omnino idem. Dicatur igitur convenientius quod sunt non convertibiliter et adequate idem.

Sustinendo, igitur, non omnimodam identitatem, sed aliqualem distinctionis modum et gradum ex parte rei inter essentiam et proprietatem. Ad primum in oppositum, negatur consequentia sicut etiam cum distinctione personarum stat, quod quelibet persona. Et tota trinitas est summe simplex per negationem compositionis et tota trinitas eque, sicut unica persona.

Ad primam probationem, si sumatur summa identitas per negationem identitatis que sit perfectior et prestantior, vel per omnimodam negationem distinctionis essentialis vel per negationem differentie simpliciter inter naturam que habet et perfectionem que habetur vel nata est haberi formaliter ab illa conceditur consequens. Si vero per negationem cuiuscumque modi

vel gradus distinctionis. Negatur consequentia, quia in trinitate est summa simplicitas, et tamen est distinctio personalis et realis sicut etiam in divinis est summa unitas, cum qua stat tamen personalis pluralitas.

Ad secundam, negatur minor proprie, et simpliciter loquendo de constituto et principiis constitutivis. Sicut enim non sunt ibi simpliciter et absolute distincta plura, ita nec [256a] sunt ibi constitutiva et constitutum, nec pars, nec compositum. Licet aliqui doctores volentes significare aliquem modum distinctionis inter essentiam et relationem, quae sunt in persona, utantur nomine “constitutionis” potius quam “compositionis” vel “partius et totius”, quia hec nomina videntur magis sonare imperfectionem. Utuntur autem nomine “constitutionis” quasi nomine abstractius significante concursum unitivum aliquantulum distinctorum, sicut in divinis non dicimus esse causam et causatum sicut principium et principiatum originans seu producens et productum.

Ad confirmationem, per idem arguitur quod in divinis est compositio realis, quia si proprietates relative inter se different essentialiter, esset in divinis compositio essentialiter, igitur nunc cum differant realiter erit ibi compositio realis. Negatur igitur maior specialiter, quando li secundum quid non est quasi pars eiusdem rationis cum esse tale simpliciter, sed est omnino alius modus quasi equivoce dictus cum eo quod dicitur simpliciter ad tertiam. Maior videtur petere oppositum, immo ex quo sunt idem realiter tollitur formaliter omnis ordo qui conveniret eis ex distinctione reali, et qui argueret distinctionem realem. Hec est modo realiter talis ordo inter personas distinctas realiter, qualis ordo essentialiter esset inter eas, si distinguerentur essentialiter, esset enim ibi ordo perfectionis inequalis et causalitatis et dependentie. Posset tamen dici quod qualem ordinem haberent aliqua obiective intelligibilia, si distinguerentur realiter talem habent ubi sunt formaliter secundum suas proprias rationes formales indistincta realiter, talem inquam ordinem quoad conceptiones intellectus nostri, quia conceptus proprii et formales correspondentes habent eundem ordinem quoad esse prius, secundum naturalem intelligentiam quoad esse notius et evidentius, quoad facere propositionem immediatam vel mediatam, quoad demonstrare et facere scire propter quid et quia, quoad esse genere absoluto vel relativo, quoad predicari in quid vel in quale et per se primo modo, vel secundo modo, vel denominative, et quoad esse determinabile et contrahibile vel determinativum et contrahens.

Ad secundum principale, negatur assumptum. Ad primam probationem, conceditur quod sunt idem formaliter et summe iuxta intellectum suprapositum, si autem intelligatur per negationem cuiuscumque gradus et modi distinctionis ex natura rei, negatur consequentia. Ad secundam probationem, negatur consequentia. Ad probationem, non infert propositum, quia ille gradus non est simpliciter aliud nec alia perfectio quam deitas. Per idem enim arguitur quod in trinitate esset maior perfectio quam in una persona. Ad tertiam, sunt alterius rationis et negat consequentia ulterior, quia sunt eadem perfectio cum essentia. Ad quartam probationem, fruendum est illa, quia etiam qualibet persona ut personaliter distincta ab alia est fruendum. Hic enim modus distinctionis non excludit, sed necessario includit in proposito unitatem essentialiter. Et cum dicitur quod “Filio deesset tanta perfectio etc.”, negatur proprie et simpliciter loquendo, quia persona Patris, licet sit eque perfecta sicut deitas, et non sit realiter Filius, tamen non deest Filio cui est idem essentialiter, et cum sit in Filio Pater et Filius in Patre per circumcessionem. Non etiam deest Filio tanta perfectio, quia illa tanta perfectio que est Pater, scilicet deitas est in Filio.

Ad tertium principale, negatur consequentia. Ad probationem, non est ibi simpliciter et absolute vel formaliter distinctio, vel pluralitas, sed distinctio ibi attributa est semper cum determinatione diminvente.

Ad quartum, conceditur quod non minus est eadem essentialiter et vere et simpliciter, immo aliquo modo est in divinis natura magis eadem supposito quam in creaturis, quia sic est eadem illi quod nihil diversum essentialiter ab illo supposito potest participare illam naturam. Non sic tamen in crea- **[256b]** –turis, immo natura non potest esse in suppositis, nisi distincta et divisa; aliquantulum tamen in eodem supposito creato non est necesse ponere aliquem gradum distinctionis inter naturam et suppositum, quia nihil verificatur de illo supposito quod falsificatur de natura in illo supposito.

Ad quintum, dicendum quod res et ens est formaliter per se et est ens quod est divina essentia, nec sequitur. Igitur, est res distincta ab essentia, sicut una persona accepta in sua precisione et distinctione ab alia est essentia et deitas. Et tamen non est deitas alia a deitate quae est alia persona.

Ad sextum, negatur consequentia. Ad primam probationem, non oportet quod cum eadem determinationem distinguantur *a* et *b*, cum qua verificantur de illis contradictoria, licet ex huiusmodi contradictione inferatur aliqua distinctio, quia essentialiter persona generans et Filius non est substantialiter et essentialiter persona generans. Non tamen distinguitur essentialiter et substantialiter, sed alio modo. Similiter, secundum alios ex eo quod paternitas non est communicabilis realiter, et essentia est communicabilis realiter infertur quod distinguuntur secundum rationem, vel quod non sunt idem convertibiliter et adequate. Sed non infertur quod distinguuntur, aut quod non sunt idem realiter.

Ad secundam probationem negatur minor. Sciendum tamen quod sic stando in lumine naturali, si hoc negetur absolute de illo, et tam hoc quam illud sit positivum, sequitur quod hoc et illud distinguuntur essentialiter, tamen secundum fidem. Non est hoc verum universaliter, quia Pater in divinis non est absolute Filius, et tamen sunt idem essentialiter. Ita dico de quibuscumque verificantur contradictoria, et pro quibuscumque, si utrumque sit positivum. Ponam quod hoc non est illud essentialiter, sed quod distinguuntur essentialiter, nisi fides et doctrina sanctorum vel determinatio Ecclesiae obvient illi distinctioni essentiali, et si obvient illi distinctioni essentiali, ponam ibi distinctionem realem cum identitate essentiali, nisi aliquod predictorum obviet distinctioni reali, et si obviet distinctioni reali, ponam ibi aliquem gradum distinctionis minorem ex natura rei distinctione reali. Sic autem est in proposito.

Ad probationem minoris. Ille syllogismus, secundum artem syllogizandi traditam a philosophis, concludit: et stando in lumine naturali concedenda esset conclusio, et talis modus arguendi videtur sufficere in omni materia, nisi ubi obviat trinitas rerum cum unitate essentie. Sed in isto casu modificanda est ars syllogizandi tali modificatione, secundum quam syllogismus in proposito peccabit in materia vel in forma, ut declarabitur questione sequenti.

Ad tertiam, negatur consequentia, quia li “reale” aliter accipitur cum est determinatio entis et cum est determinatio distinctionis. Ens enim dicitur “reale” eo quod est vere res aliqua, sed distinctio, secundum communem acceptionem, dicitur “realis”, non quia sit res aut in re, sed quia sit rei a re tamquam duarum rerum, et eo quod utrumque est res, et hec res non est illa res. Sicut non sequitur: “Omne ens est substantia vel accidens seu substantiale vel accidentale, igitur omnis distinctio est substantialis vel accidentalis”. Quia Pater distinguitur a Filio non substantialiter nec accidentaliter, albedo etiam distinguitur a frigiditate; nec est distinctio

substantialis, nec accidentalis, quia accidentale aliter accipitur ut est determinatio distinctionis et ut est determinatio entis. Similiter, omne ens est essentia, et tamen non omnis distinctio est essentialis. Similiter, omne ens est res, tamen, secundum aliquos, non omnis distinctio est realis, sed quedam rationis. Et cum dicitur quod “passio non excedit suum subiectum”, conceditur quod omne vere et proprie distinctum est ens; tamen interdum aliquem sunt differentie et determinationes divisive immediate et proprie subiecti, et non sic passionis, ut positum est de distinctione substantiali et accidentali, immo interdum aliquem sunt differentie proprie subiecti [257a] que non passionis, ut omne ens est materia vel forma vel compositum. Tamen non proprie dicitur quod omnis continentia sit materialis vel formalis vel composita, sed quedam est virtualis vel causalis vel secundum eminentiam. Ad confirmationem, conceditur consequens de vera pluralitate simpliciter et frustra apponitur vel rationis, quia omnis vera unitas est realis et essentialis, non tamen omnis pluralitas vel distinctio est essentialis.

Ad quartam probationem, per idem arguitur quod que solo numero distinguuntur, ut Socrates et Plato specie et genere distinguuntur, quia que numero distinguuntur aliquo modo distinctionis distinguuntur, igitur distinguuntur, igitur non sunt idem, igitur non sunt idem specie vel genere a superiori negative. Respondeo, igitur, quod aliquo modo distinctionis, vel illa inter que est aliqua distinctio distinguuntur. Conceditur, si sit species vel modus distinctionis vere et simpliciter. Si est secundum quid et etiam in minimo gradu distinctionis secundum quid, qui stat cum perfecta identitate simpliciter. Negatur, nec est locus ab inferiori ad superius, nec a parte in modo, sed est arguere a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, sicut arguere sunt idem genere, vel analogia, igitur sunt idem; vel arguere distinguuntur ratione, igitur distinguuntur. Potest etiam dici quod non est locus ab inferiori ad superius, sed a termino equivoco vel analogo sumpto improprie in secundaria significatione ad ipsum absolute sumptum, et pro principali et primario significato. Potest etiam dici quod inferre distingui simpliciter et distingui aliquo modo est implicite arguere ab inferiori ad superius negative, quia in termino distinctionis includitur negatio, sicut si arguitur, non sunt idem tali modo, igitur non sunt idem.

Ad quintum, iste determinationes ex natura rei realiter essentialiter respectu quorundam determinabilium convertuntur, ut respectu entis vel hominis vel albedinis, et respectu quorundam determinabilium non convertuntur, ut respectu huius determinabilis, quod dico distingui, vel esse idem. In proposito, igitur, dico quod iste determinationes realiter ex natura

rei convertuntur respectu huius determinabilis, quod est distingui absolute et simpliciter sumpti. Non enim concedo quod simplici et absolute sermone essentia et relatio distinguantur ex natura rei, quia li “ex natura rei” non est determinatio distrahens, sed concedo quod ex natura rei aliquo modo seu gradu distinctionis minimo distinguuntur. Nec sequitur quod realiter distinguuntur, quia li “realiter” est determinatio convertibilis cum hoc determinabili distingui sumpto simpliciter et absolute, sicut non sequitur “Socrates est vivens in opinione, ergo Socrates est realiter vivens”. Nec etiam sequitur quod realiter quoddam gradu distinctionis minimo distinguuntur, quia ibi implicantur determinationes sibi repugnantes. Ad confirmationem, patet ex dictis. Negatur enim antecedens, nisi apponatur aliqua modificatio, et illam intendunt subintelligi doctores sic loquentes.

Ad sextam probationem, negatur minorem, immo illis ex suis rationibus convenit quod simpliciter sint idem.

Ad septimam, per idem arguitur de distinctione personarum quod sit perfectissima et maxima, et in summo, et ita essentialis, et substantialis sine gradu identitatis simpliciter. Potest igitur negari minor, quia simpliciter et absolute loquendo non est ibi distinctio rationis ab essentia, sed distinctio talis cum debita specificatione est ibi verissime. Potest igitur dici quod ibi reperiri verissime et perfectissime quicquid ibi reperitur potest intelligi dupliciter, vel quod omnis entitas et modus seu gradus essendi existens formaliter in divinis, reperitur ibi sine imperfectione. Et cum potissimo et eminentissimo modo seu gradu compossibili enti, et sic conceditur quod omnis modus distinctionis ibi repertus reperitur ibidem sine imperfectione. Nec deest ibi gradus distinctionis talis faciens ad ma- [257b] –iorem perfectionem. Nec ex eo sequitur quod ibi sit distinctio essentialis vel realis cuiuslibet ad quodlibet ibi existens. Alio modo, quod omne predicatum habens diversas acceptiones vel determinationes, quarum una est principalis, alia secundaria, reperiatur in Deo secundum acceptionem et determinationem principaliorum; et sic negatur, quia interdum in principaliori acceptione et significatione importat imperfectionem et non in alia. Sic est de distinctione.

Ad octavam probationem, cum dicitur ibi est aliqua distinctio vel aliqua non identitas, si notetur aliqua species seu modus distinctionis simpliciter esse ibidem, vel aliquis modus seu gradus distinctionis vel non identitatis non diminuens, nec distrahens, negatur dicta proposito, scilicet quod ibi sit aliqua distinctio seu aliqua non identitas, ut notetur negatio identitatis. Alio

modo, per illa verba potest notari aliquis modus distrahens vel diminuens a distinctione vel non identitate, et ut non sit negatio identitatis, sed modi cuiusdam, et sic non valet illa consequentia. Aliqua non identitas, igitur nulla identitas. Sed arguitur a negatione cuiusdam dicti secundum quid ad negationem eiusdem dicti simpliciter. Deinde, ad illa quibus probatur quod non distinguunt formaliter. Dicendum quod non sunt contra dicta. Concedo enim quod sunt idem formaliter et quod paternitas est formaliter essentia, quia vere et proprie non solum eminenter vel virtualiter, immo etiam predicatio essentie de Patre vel paternitate videtur reduci ad primum modum dicendi per se. Quia sicut commune predicatur de proprio supposito, vel quasi pars diffinitiva de parte diffinitiva. Non dico igitur quod sint due formalitates vel realitates vel entitates due, sed est quidam modus distinctionis diminute et secundum quid, qui tamen non continetur sub aliqua specie vel differentia distinctionis posita a philosophis. Potest autem dici distinctio secundum inadequationem. Si tamen velit quis sic dicere et intelligere illam distinctionem esse formalem, quia essentia et relatio intelliguntur proportionabiliter quasi due formalitates eiusdem suppositi concurrentes unitive, quarum una est quasi communis pluribus suppositis, reliqua autem propria, sicut etiam partes diffinitionis dicuntur forme, et significant quasi formam, et individuum intelligitur quasi subiectum vel compositum.

Ad primum: in oppositum diceretur quod realitas essentie et realitas paternitatis omnino idem est in Patre, quia est ipsum suppositum habens formaliter essentiam et relationem. Realitas autem essentie et formalitas essentie dicerentur distingui formaliter, quasi continens et contentum, sicut persona et essentia. Nec distinguitur nisi per formalitatem relationis additam in realitate. Ideo, non est processus in infinitum, quia formalitas qua realitas essentie distinguitur a formalitate essentie non est nisi formalitas relationis. Unde, per idem arguitur quod persone non sunt idem essentialiter a substantialiter et distincte realiter et personaliter, quia queritur an substantialitas persone et realitas seu personalitas persone sunt omnino idem vel distinguantur. Si primum, igitur iuxta modum tuum arguendi si sunt idem essentialiter, et substantialiter sequitur quod sunt idem realiter et personaliter. Si secundum, quero quo modo distinguuntur an substantialiter vel personaliter etc. Ad secundum negatur consequentia, quia aliter accipitur li “realiter” et li “formaliter”. Dicitur enim distinctio realis, quia rei a re tamquam duarum rerum. Sed distinctio formalis dicitur non quia sit plurium formarum, quia due materie distinguuntur formaliter, sed dicitur distinctio intelligibilium formaliter existentium in re, que quamvis unitive concurrant per identitatem realem, tamen proprie rationes formales adequate correspondent eis

distincte. Ad tertium, negatur consequentia, quia non uniformiter accipitur distingui formaliter ex habitudine ad formas, sicut distingui materialiter ex habitu- [258a] –dine ad materias. Ad quartum, concludit accipiendo formaliter proprie, ut supradictum est. Sed accipiendo formaliter, ut nunc in proposito, ut notat omnimodam identitatem in re correspondentem partibus formalibus diffinitionis suppositi. Negatur consequentia, quia essentiam esse sic idem formaliter relationi repugnat communicabilitati essentie. Ad quintum, negatur maior. Ad probationem, negatur illa convertens; si sumatur ut simpliciter universalis secundum dici de omni et dici de nullo, quia contingit aliquid sumere sub subiecto de quo non dicitur predicatum. Item, li “distinctum” sumitur aliter in conversa et in convertente, quia in conversa tenetur substantive, et pro omni etiam proprietate. In convertente autem tenetur adiective et pro essentia in communi, quae ibi preponitur per modum substantivi. Ad sextum, prima proportio intelligitur quoad oppositionem, non quoad convertentiam. Secundo, secunda proportionabilitas et comparatio non est intelligenda secundum convertentiam, sed secundum oppositionem; ideo debet inferri quod sicut esse distinctum realiter et esse distinctum formaliter non opponitur, ita esse idem realiter et esse idem formaliter non opponuntur. Simile argumentum est hic: sicut distinctum genere ad idem genere, sic distinctum specie ad idem specie, igitur a transmutata propositione sicut etc. Sed omne distinctum genere est distinctum specie, igitur omne idem genere est idem specie non sequitur. Ideo attendendum est igitur penes quid est prima proportionabilitas. Ad argumentum in principio questionis, patet supra.

Sequitur questio secunda.

Secundo, circa easdem distinctiones, quero utrum cum identitate essentiali deitatis stet distinctio realis personarum divinarum. Quod non, quia que uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, igitur que inter se non sunt idem, nulli tertio sunt idem. Et in virtute harum duarum propositionum, tenet omnis forma syllogistica. In syllogismis enim affirmativis ex unitate extremitatum cum medio concluditur identitas et affirmatio extremitatis de extremitate. Et in syllogismis negativis ex identitate unius et non alterius extremitatis cum medio, concluditur negatio extremitatum de se invicem.

Contra: I Iohannis 5: “Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt”.

Respondeo quod sic probatur extra De summa trinitate et fide catholica, capitulo “Firmiter” et capitulo “Damnamus”. Item, proprietates relativa distingueretur realiter a deitate seu essentia. Consequens est falsum, quia in Deo esset vere compositio ex subiecto et forma. Et quia Deus est quicquid, habet secundum Augustinum, 11 De trinitate, 10.

Contra: proprietates relativa distinguitur realiter ab essentia; igitur, persone non sunt idem essentialiter. Antecedens probatur. Primo, ea de quibus vel pro quibus verificantur contradictoria predicata, distinguuntur realiter vel non sunt idem realiter. Essentia et relatio sunt huiusmodi, igitur. Minor patet questione precedenti, sed maior patet multipliciter. Primo, quia si non requiritur distinctio, vel non identitas realis, sed sufficit distinctio formalis, sequitur quod nulla poterit probari distinctio realis, sed semper diceretur quod bene sufficit minor. Non enim potest probari, nisi per viam alicuius contradictionis. Secundo, **[258b]** aliqua contradictoria inferunt distinctionem vel non identitatem realem, igitur omnia. Antecedens patet de istis contradictoriis “esse” et “non esse”, “esse substantiam” et “non esse substantiam”, “esse album” et “non esse album”, etc. Consequentia probatur, quia omnia contradictoria habent equalem repugnantiam, igitur inferunt equaliter distinctionem vel non identitatem realem. Consequentia ista probatur: tum quia non inferunt distinctionem nisi ratione repugnantie, tum quia si habent equalem repugnantiam, igitur, equalem impossibilitatem. Si igitur aliqua sunt impossibilia identitati reali, sequitur quod omnia. Antecedens, scilicet quod omnia contradictoria equaliter repugnant, probatur: tum quia eadem, vel equalis est ratio repugnantie in omnibus, scilicet ratio oppositionis contradictorie; tum quia que omnino equaliter et uniformiter sunt idem, vel conveniunt quoddam precise, dempto illa omnino equaliter et uniformiter distinguuntur vel repugnant illo precise et uniformiter addito. Patet, quia omnino eadem et uniformis est ratio distinctionis et repugnantie, quia per talem additum precise distinguuntur vel repugnant. Sed *a* esse et *a* esse equaliter et uniformiter sunt idem vel conveniunt, sicut *b* esse et *b* esse; igitur, negatione uniformiter addita equaliter et uniformiter distinguuntur et repugnant. Tertio, probatur maior principalis: plus vel non minus repugnant contradictoria quam contraria vel privative opposita vel quecumque disparata, sed ista inferunt distinctionem, vel non identitatem realem. Quarto, ea distinguuntur realiter vel non sunt idem

realiter, quorum unum vere negatur de reliquo simpliciter et absolute predicatione, dicente “hoc non est hoc”. Patet, quia si aliquid est idem realiter cum *a*, igitur est realiter *a*, igitur simpliciter et absolute est *a*. Sed generaliter eorum de quibus vel pro quibus verificantur contradictoria, unum vere negatur ab alio simpliciter et absolute, ergo. Minor probatur, quia predicatum quod vere affirmatur de uno et vere negatur de reliquo poterit esse medium in syllogismo negativo ad concludendum negationem extremitatis de extremitate et eversa. Si sunt idem realiter, quodlibet illorum poterit esse medium in syllogismo affirmativo ad concludendum illud predicatum de uno quod verificatur de alio. Verbi gratia, si *a* et *b* sunt idem realiter secundum te, et tantum *c* verificatur de *a* et non de *b*. Arguitur sic: omne *a* est *c*, omne *b* est *a*, igitur omne *b* est *c*, et eversa, nullum *b* est *c*, omne *a* est *b*, ergo nullum *a* est *c*.

Confirmatur, quia secundum Aristotelem, primo Priorum, medio existente hoc aliquid necesse est extrema coniungi. In proposito autem medium est hoc aliquid, quia eadem deitas numero, et ita nisi assumptum sit verum, perit forma et ars syllogistica. Dices: sicut in creaturis commune, puta homo, se habet ut quale quid singulare autem ut puta, Socrates se habet ut hoc aliquid, ita essentia communis tribus personis se habet quasi quale quid et persona quasi hoc aliquid. Medium, igitur, in proposito est quale quid, igitur non sequitur extrema esse idem inter se. Contra: si argueretur sic: hec deitas seu hec essentia est Pater; hic Filius est hec deitas et essentia, igitur hic Filius est Pater. Ibi accipitur hec deitas que est tertie persone divisim et coniunctim, et ipsa non minus est una numero quam paternitas, et non minus accipitur eadem deitas numero in maiore et minore quam eadem paternitas vel filiatio in premissis et in conclusione. Ex consimili modo arguendi, probatur essentiam simpliciter et absolute negari de paternitate, si ponantur aliquo modo distingui vel esse non idem sive formaliter sive convertibiliter sive secundum rationem. Sic *a* est omnino idem ipsi *a* formaliter et convertibiliter et adequate. Sed *b* [259a] non est omnino idem ipsi formaliter, convertibiliter et adequate, igitur *b* non est *a*. Vel sic *a* non est distinctum secundum rationem ab *a* sed *b* est distinctum secundum rationem ab *a*, igitur *b* non est *a*. Dices: talis specificatio posita in premissis debet poni in conclusione et debet inferi, igitur *b* non est omnino idem cum *a* formaliter et convertibiliter. Contra: nec medium nec pars eius oportet poni in conclusione, sed conclusio componitur ex maiori et minori extremitate, Sed *b* et *a* sunt totaliter et integre maior extremitas et minor extremitas, et li “formaliter” vel “convertibiliter” sunt pars medii, igitur. Item, non minus opponuntur et contradicunt et repugnant esse convertibiliter idem ipsi *a* et non esse idem

convertibiliter ipsi *a* quam esse simpliciter idem ipsi *a* et non esse simpliciter idem ipsi *a*, igitur si ex istis, tamquam ex medio eodem affirmato et negato, infertur *a* non esse *b*, pari ratione ex illis. Item, sumpta eadem specificatione in premissis et conclusione arguitur propositum sic: *a* distinguitur ex natura rei ab *e*, scilicet *e* non distinguitur ex natura rei ab *c*, igitur *e* non est ex natura rei ipsum *a*, igitur *absolute* non est *a*. Eodem modo in proposito potest argui ponendo tam in premissis quam in conclusione has determinationes realiter, personaliter, suppositaliter, simpliciter. Patet, igitur, quod ea de quibus et pro quibus verificantur contradictoria distinguuntur realiter vel non sunt idem realiter. Et quod unum vere negatur de altero absolute. Ex quo patet primum principale antecedens, scilicet quod “proprietas relativa distinguitur realiter ab essentia”. Secundo principaliter, ad idem arguitur sic: nullum incommunicabile est communicabile, nec e converso, igitur nulla proprietas relativa est essentia. Antecedens probatur, quia unum oppositum vere negatur de suo opposito, et quia sicut nullum indivisibile est divisibile, ita nullum incommunicabile est communicabile. Consequentia probatur, quia quilibet proprietas est incommunicabilis, et essentia est communicabilis. Et quia antecedens est propositio universalis negativa, et ita ibi est dici de nullo, igitur nihil est sumere sub subiecto a quo non removeatur predicatum et e converso. Quia universalis negativa convertitur simpliciter. Tertio, nullum communicabile Filio est Paternitas; omnis deitas est communicabilis Filio, igitur nulla deitas est paternitas. Maior probatur, nulla paternitas est communicabilis Filio, igitur per conversionem nullum communicabile Filio est paternitas. Quarto, essentia divina est non Pater, ergo non est Pater, et ita simpliciter distinguitur, quia unum absolute negatur de alio. Consequentia probatur, quia ad affirmativam de predicato infinito sequitur negativa de predicato finito. Antecedens probatur, tum quia deitas stat cum non Patre vel non paternitate; tum quia deitas est Filius, igitur non Pater per locum ab inferiori, quia non Pater est superius ad Filium. Quinto, si quilibet persona est essentialiter et realiter essentia, sequitur quod hec consequentia est necessaria “Pater generat, igitur essentia generat”. Probo, quia erit illatio ab inferiori affirmative, et e converso sequitur nulla deitas generat, ergo Pater non generat a superiori negative. Confirmatur: nullum generans est deitas. Pater est generans, igitur Pater non est deitas. Maior probatur, quia nulla essentia divina generat, igitur per conversionem etc. Eodem modo arguitur: nullum genitus est essentia divina quia nulla essentia divina generatur, vel est genita, igitur per conversionem nullum genitum est essentia. Sed Filius est genitus, igitur. Sexto, essentia est perfectio simpliciter et est formaliter infinita. Proprietas relativa non est huiusmodi,

quia aliqua perfectio simpliciter et aliquis gradus perfectionis simpliciter deesset persone divine, igitur esset imperfecta, quia perfectio simpliciter est in quolibet melius ipsum quam non ipsum. Septimo, essentia est ad se non [259b] ad aliud. Paternitas non est ad se, sed ad aliud secundum Augustinum, primo De trinitate, capitulis 1 et 2. Confirmatur a quo negatur diffinitio et diffinitum, sed diffinitio relationis negatur de essentia, quia essentia, scilicet illud quod est non ad aliud dicitur secundum Augustinum. Octavo, ubi distincta esse ibi distincte essentie, sed in divinis sunt distincte esse, igitur. Maior probatur, quia secundum Augustinum 5 De trinitate, capitulo 2, “sicut ab eo quod est sapere dicta est ‘sapientia’, sic ab eo quod est esse dicta est ‘essentia’”. Minor probatur, quia ubi sunt diverse substantie, et diverse res, igitur diversa entia et existentia; igitur, distincta et plura esse.

Ad primum negatur antecedens. Ad primam probationem, dicitur quod ea pro quibus verificatur contradictoria aut distinguuntur realiter, aut non sunt idem realiter, aut sunt res distincte, sic quod unum est aliqua res et reliquum non est illa res. Sic autem conceditur in proposito quod essentia et proprietas sunt res distincte sic intelligendo quod essentia est aliqua res distincta a Patre realiter, quia essentia est filiatio que est alia res a Patre. Sed hoc non sufficit, quia probationes supraposite videntur probare quod hoc non est idem illi; vel quod ex nulla contradictione poterit argui distinctio vel non identitas realis, quia dicitur quod per aliquam circumlocutionem verificatur de hoc quod verificatur de illo. Potest ergo dici quod omnis fidelis habet negare quod subiecta de quibus verificantur contradictoria predicata supponunt universaliter pro distinctis realiter vel non pro eodem realiter. Et quod ea pro quibus supponunt huiusmodi subiecta vel verificantur huiusmodi predicata non sunt idem realiter, quia deitas communicatur et non generat, paternitas communicatur et generat. Negatur, igitur, maior.

Ad primam probationem negatur consequentia, quia per idem arguitur quod numquam probabitur distinctio essentialis vel specifica vel generalis, quia ex aliqua contradictione infertur solum distinctio realis non essentialis. Dicendum igitur quod, nisi quis velit contra manifesta irrationabiliter protervire ex quibusdam contradictionibus, arguitur maior differentia, puta essentialis vel specifica vel generalis. Alioquin omnia equaliter convenirent et equaliter different. Ad secundam probationem maioris negatur consequentia. Non enim omnia contradictoria inferunt equalem distinctionem in illis pro quibus verificantur. Ex eo enim quod *a* est substantia et *b* non est substantia, sequitur quod *a* et *b* distinguuntur genere generalissimo.

Ex eo etiam quod *a* est ens spirituale et incorruptibile, et quod *b* non est huiusmodi, sed materiale et corruptibile, vel ex eo quod *a* est animal, et *b* non est animal, arguitur quod non sunt idem genere propinquo. Ex eo autem quod *a* est album et *b* non est album, non arguitur quod distinguantur specie, tamen infertur quod non sunt idem essentialiter. Et ex eo quod *a* producit et *b* non producit, non arguitur quod distinguuntur, vel non sunt idem essentialiter, sed realiter; et ita ex aliquibus contradictionibus infertur distinctio vel non identitas generalis ex quibusdam specifica, ex quibusdam essentialis et quibusdam realis et personalis. Ad probationem, igitur, conclusione, cum dicitur quod “Omnia contradictoria habent equalem repugnantiam”, si intelligitur quod omnia complexa contradictoria habent equalem repugnantiam quoad esse simul vera vel simul falsa, aut quod omnia predicata contradictoria habent equaliter repugnantiam quoad simul verificari vel simul falsificari de eodem subiecto. Conceditur illud et negatur consequentia, et in hoc sensu procedunt probationes antecedentis. Si vero intelligitur quod omnia predicata contradictoria exigunt equalem impossibilitatem vel disconvenientiam in illis pro quibus **[260a]** verificantur. Negatur illud antecedens. Quaedam enim predicata contradictoria exigunt impossibilitatem durationis in illis pro quibus verificantur, ut *a* est ens, *b* non est ens. Quaedam vero impossibilitatem loci, ut esse ibi et non esse ibi. Quaedam vero impossibilitatem subiecti, ut esse actum materie, et non esse actum materie. Quaedam etiam exigunt disconvenientiam secundum genus, quedam secundum speciem, quedam secundum numerum, quedam essentialem, et quedam non essentialem, sed realem et personalem. Ad primam probationem consequentie, dicendum quod quedam huiusmodi predicata contradictoria inferunt distinctionem vel non identitatem realem eorum pro quibus verificantur. Sed non precise ratione repugnantie generalis secundum quam absolute et generaliter est repugnans contradictoria simul de eodem verificari, sed ratione repugnantie talium predicatorum contradictoriorum in tali materia. Ad secundam rationem conceditur quod habent equalem impossibilitatem quoad simul verificari vel falsificari de eodem subiecto, sed non quoad impossibilitatem vel disconvenientiam et alietatem eorum pro quibus verificantur, quia omnes fideles quedam predicta contradictoria habent impossibilitatem identitati essentiali, et quedam non. Ad tertiam probationem maioris principalis dicendum quod complexa contradictoria non minus repugnant quoad simul verificari vel simul falsificari, et quod contradictoria predicata non minus repugnant quoad simul verificari vel falsificari de eodem subiecto quam predicata contrarie vel privative opposita quoad simul verificari de eodem

subiecto vel falsificari de eodem subiecto. Et tunc non valet consequentia, nec discursus, sed non omnia predicata contradictoria magis vel eque exigunt impossibilitatem vel divisionem vel disconvenientiam vel non identitatem in ei pro quibus verificantur, quam quecumque predicata contrarie vel privative opposita, vel quam quecumque disparata, quia esse necessarium et independens et incausatum infert distinctionem vel non identitatem secundum genus ab eo quod est contingens et dependens et causatum non autem currere vel non currere. Ad quartam probationem maioris negatur minor. Ad probationem: talis discursus quo probatur hoc non esse illud, peccaret in materia vel in forma, ut patebit in quoddam dubio; vel si discursus non peccat, tunc sequitur conclusio non absolute sive specificative affirmans vel negans hoc de illo, sed cum quadam determinatione et circumlocutione, ut quod *a* est essentialiter *c* vel est illud quod est *c* vel quod *a* non est *b* formaliter et convertibiliter vel huiusmodi. Ad alios discursus dicendum quod tenent in creaturis, quia nec per fidem nec per rationem cogimur concedere quod predicata contradictoria de subiectis supponentibus pro eadem essentia vel pro eadem re. Sed huiusmodi discursus non tenet in divinis, nisi cum determinata relatione de qua in quoddam dubio sequenti. Item, potest dici quod ex premissis sic modificatis non sequitur conclusio absolute sine modificatione. Et cum dicitur nec medium nec pars medii habet poni in conclusione. Dicendum quod quedam sunt determinationes extremi propositionis, que non sunt determinationes et modificationes copule et compositionis vel negationis, ut ‘Socrates currit velociter’, vel ‘agit bene’, vel ‘Socrates est albus’. Et huiusmodi specificationes medii non oportet poni in conclusione. Sed alie sunt modificationes, que quamvis in forma enuntiandi et in figura loquendi sunt modificationes extremi, tamen implicite et equivalenter sunt modificationes copule et complexio- [260b] - nis, ut dicendo *a* esse idem formaliter vel contingenter vel convertibiliter ipsi *b*. Esse enim idem ipsi *b* est esse *b*. Ideo illa modificatio identitatis est modificatio copule et compositionis. Item, modificationes compositionis seu affirmationis vel negationis quedam sunt contrahentes et arctantes, ita quod non apposite actualiter et explicite non subintelliguntur. Quedam enim sunt qua non contrahunt, sed etiam non apposite exprese et explicite nihilominus subintelliguntur implicite, ut ‘homo este vere albus’, homo est realiter vel ex natura rei albus. Item, quedam determinationes sunt termini prime intentionis, nec faciunt terminos teneri simpliciter, nec faciunt propositionem esse de actu signato, sed exercito. Quedam vero sunt termini secunde intentionis qui faciunt terminos supponere materialiter vel simpliciter et propositionem esse de actu signato, ut dicendo homo est per se primo modo animal. Quedam

vero videntur termini equivoci sumptibiles sic vel sic, ut esse formaliter vel quidditative vel necessario vel huiusmodi. Ad propositum, quando determinatio que videtur esse medii est implicite et equivalenter specificatio copule et totalis complexionis, tunc ex premissis cum tali determinatione non sequitur conclusio absoluta, verbi gratia, hoc corpus non est necessario et essentialiter album, hoc corpus est necessario et essentialiter hoc quantum, igitur hoc quantum non est album. Non sequitur similiter hoc corpus non est contingenter quantum hoc corpus est contingenter album, igitur hoc album non est quantum, non valet. Ex hoc patet ad primam improbationem responsionis ibi posite. Ad aliam negatur consequentia, quia li ‘simpliciter’ et li ‘convertibiliter’ non sunt determinationes eiusdem rationis nec uniformes et similes, quia li ‘simpliciter’ non est determinatio contractiva, immo quamvis non explicetur, subintelligitur et convertitur cum determinabili ab absolute sumpto. Ad aliud per idem: *a* enim esse *b* et *a* esse *b* realiter vel ex natura rei convertuntur, ideo sicut non valet discursus sine huiusmodi determinatione, ita nec cum illa ut infra patebit. Ad secundum principale. Si li ‘communicabile’ tenetur adiective conceditur antecedens et negatur consequentia. Si substantive negatur antecedens, quia quelibet persona que est incommunicabilis est essentia que est communicabilis. Ad tertium, negatur maior. Ad probationem, dicitur quod regule conversionum non tenent ubi una et eadem essentia est per identitatem communis pluribus suppositis. Item, potest dici quod li ‘communicabile’ aliter sumitur in conversa et in convertente et plus ampliatur in conversa quam in convertente, quia in conversa tenetur quasi substantive pro omni eo quod est communicabile, ideo est falsa. In convertente autem tenetur adiective et non pro omni eo quod est communicabile, quia falsum est quod nulla paternitas sit id quod est communicabile. Item, potest dici quod convertens est falsa, si sumatur ut simpliciter de omni, quia falsum est quod nullum intelligibile quod sit paternitas sit communicabile. Per idem potest negari minor, scilicet quod omnis deitas est communicabilis Filio, si sumatur ut omnino universalis et simpliciter secundum dici de omni, quia non omne quod est deitas est communicabile Filio, nec predicatum dicitur de omni quod potest sumi sub subiecto, vel de quo potest verificari subiectum, non quod sint plures deitates et una sit communicabilis Filio et alia non. Sed in divinis de aliquo verificatur deitas et ipsum est communicabile, et de aliquo verificatur deitas de quo verificatur incommunicabile. Ad quartum, si li ‘essentia’ teneatur universaliter ut in illa propositione sit dici de omni, negatur antecedens, quia non omne quod est essentia est non Pater. Si vero li ‘essentia’ tenetur determinate pro quodam supposito essentie conceditur antecedens, quia

aliquod suppositum quod est essentia est non Pa- [261a] –ter, scilicet Filius. Et pro eodem supposito conceditur consequens. Si vero li ‘essentia’ sumatur quasi indefinite et absolute pro deitate in communi abstrahendo a proprietatibus, tunc si li ‘non’ sumatur quasi infinite et absolute, ut negatio infinitans conceditur antecedens, quia deitas est aliquod suppositum quod est non Pater. Et negatur consequentia. Illa autem regula communis non habet locum isto modo bui una et eadem res essentialiter est tres res personaliter. Si vero li ‘non’ sumitur ut est negatio non infinitans, sed negans, sic negatur antecedens, quia importatur quod deitas nihil est eorum que sunt Pater, seu quod est nulum intelligibile quod fit Pater. Ad quintum, negatur consequentia. Ad probationem: ille locus non tenet ubi una et eadem numero essentia est communis pluribus suppositis realiter distinctis, maxime procedendo a predicato proprio singularis ut singulare et distincto suppositi a supposito ad illud predicatum dictum de natura communi, non valet etiam consequentia a predicato dicto de natura communi, ut communis est abstrahendo a singularibus et differentiis distinctivis suppositorum ad idem predicatum de supposito, sicut ponendo ideam humanitatis communem, sicut posuit Plato. Non sequitur Socrates est de se hoc aliquid, igitur homo vel humanitas est de se hoc aliquid. Nec sequitur homo est species vel de se natura communis, igitur Socrates. Deitas autem eadem numero essentialiter est in pluribus suppositis. Generare autem est in predicatum proprium supposito, et distinctivum suppositi. Ideo non sequitur Pater generat, igitur essentia generat. Et specialiter non tenet huiusmodi consequentia, quando talis predicatio non denotaret solum identitatem significati per subiectum ad significatum per predicatum, sed denotaret illud quod significatur per subiectum habere habitudinem ad aliquid tamquam gignens ad genitum vel habitudinem distinctivam suppositi a supposito. Sic autem est dicendo essentia generat vel est generans sumendo adiective non substantive. Hec enim est predicatio non solum identica sed formalis et denominativa. Nec solum denotatur identitas essentie ad aliquid quod sit generans, sed denotat habitudo essentie ad aliquid tamquam generantis ad genitum, et per consequens habitudo essentie ad aliquid in divinis distinctum ab essentia. Et ideo talis predicatio est falsa. Sed hec est vera: essentia est Pater, quia denotatur solum identitas essentie ad Patrem. Ad confirmationem negatur maior. Ad probationem: aut regule conversionum non tenent in proposito, aut maxime si fiat variatio termini penes teneri adiective et substantive, vel variatio predicationis penes identicam vel denominativam et formalem predicationem, vel diceretur quod dicendo nulla deitas generat, si fit distributio tantum pro essentialibus et quidditativis

conceditur. Si vero fit distributio generaliter pro omnibus sumptibilibus sub subiecto et fit simpliciter enuntiatio secundum dici de omni, ut sit sensus de nullo intelligibili est verum quod generet, de quo est verum quod sit deitas seu quod nihil quod sit deitas generet, negatur. Ad sextum, negatur minor. Paternitas enim est formaliter infinita eadem infinitate qua essentia, licet non formaliter in per se primo modo, quia nec essentia est sic formaliter infinita, quia conceptus infiniti est negativus, est etiam perfectio simpliciter, quia est divina essentia simpliciter. Nec sequitur quod aliqua perfectio simpliciter desit Filio formaliter, sicut Pater est deitas et Pater non est Filius, igitur deitas deest Filio, non sequitur. Potest etiam dici quod perfectio simpliciter potest sumi pro eo formaliter quod non est imperfectio nec imperfectionem includens, nec imperfectioni annexum, sed omnem imperfectionem excludens et sic pater- **[261b]** -nitas divina est perfectio simpliciter. Nec est inconveniens talem perfectionem simpliciter deesse sic Filio, quia sibi non conveniat formaliter, dum tamen conveniat sibi in identitate nature et alia correspondens et equivalens sibi formaliter conveniat. Alio modo pro eo formaliter quod in qualibet natura seu in quolibet ente secundum essentiam melius est ipsum quam non ipsum, id est quam repugnans et impossibile essentialiter, et sic paternitas divina est perfectio simpliciter. Alio modo pro eo formaliter quod in quolibet supposito melius est ipsum quam non ipsum. Et sic non est perfectio simpliciter nec imperfectio, quia nec universaliter suppositum habens formaliter paternitatem est perfectius non habente nec imperfectius. Ad septimum, si subiectum maioris et subiectum minoris supponant simpliciter, non arguitur nisi distinctio predicabilium quorum unum est absolutum, aliud relativum. Si vero supponant personaliter, tunc forma non valet ad concludendum absolutam negationem, nisi cum debita specificatione ut infra dicitur. Aliter potest dici quod essentia est ad se et ad aliud, quia secundum se et primo est ad se et per paternitatem est ad aliud. Unde, Augustinus, 7 De trinitate, 1: «Si Pater non est aliquid ad seipsum non est omnino qui relative dicatur ad aliud». Ad confirmationem, si ‘relatio’ et ‘ad aliquid’ sunt termini secunde intentionis, patet quod ratio non valeat. Si vero sint termini prime intentionis diceretur quod descriptio quam Aristoteles assignat est ratio illius termini simpliciter sumpti, puta huius communis predicabilis quod est relatio, vel potest dici quod ratio relationis dicitur de essentia, non sub quacumque forma enuntiandi, sed sic quod essentia est aliquid quod formaliter et per se, secundum quod ipsum est ad aliud. Ad octavum, maior est vera ubi sunt distincta esse absoluta, vel ubi sunt esse distincta et plura essentialiter, non autem ubi sunt plura esse relativa et distincta tantum personaliter et suppositaliter. Et consimiliter

potest dici quod tres persone sunt tria entia suppositaliter et relative, non essentialiter et absolute. Unde Magister primo libro Sententiarum, distinctione 25, capitulis 5 et 6, dicit quod tres persone sunt tres substantie et tres entitates.

Dubium an in divinis teneat forma syllogistica secundum artem traditam a philosophis. Respondeo, quamvis oporteat addi interdum aliquas condiciones ad hoc ut teneat in divinis, quas non oportet addi in creaturis, tamen non est negandum formam syllogisticam tenere in divinis. Probo, quia si discursus syllogisticus ibi non tenet, igitur nulla species argumentationis vel ratiocinationis vel probationis ibi tenet, quia evidentior et efficacior species argumentationis est syllogismus. Et per consequens Sancti et doctores frustra laboraverunt et laborant ad inquirendum et probandum veritatem de divinis, vel ad improbandum falsitatem, si nulla species probationis vel improbationis ibi valeat. Item, hoc est exponere fidem nostram de divinis et legem nostram derisioni et scandalo. Si coram infidelibus vel hereticis nullam probationem vel rationem et argumentationem recipimus. Et si lex nostra ad hoc nos artat, etsi negamus per se nota, scilicet formam et illationem syllogisticam, que est initium et fundamentum inquirendi veritatem et reprobandi falsitatem, immo nec esset conferendum nobiscum. Sed qualiter teneat ars syllogistica in divinis, cum in illa materia fiant multi syllogismi, quorum premissae sunt secundum fidem concedende; et conclusio neganda. Respondeo: varii modi dissolvendi illos syllogismos assignantur. Et licet unus illorum modorum non sufficiat ad dissolvendum omnes syllogismos, tamen per unum modum solvuntur aliqui [262a] et per alium alii. Dicitur ergo primo a quibusdam quod si premissae disponantur secundum artem syllogisticam, conclusio sequitur, tamen cum debita et convenienti determinatione. Verbi gratia, ‘hec deitas est Filius’, ‘hic Pater est hec deitas’, sequitur igitur ‘hic Pater est illud quod Filius’ vel ‘est aliquid quod est Filius’, vel ‘est essentialiter id quod Filius’. Similiter negative sic: ‘hic Pater non est Filius, hec deitas est hic Pater, igitur deitas non est convertibiliter et adequate hic Filius’, vel ergo deitas est aliquid quod non est Filius. Sed hic modo non videtur sufficiens, quia si premissae disponantur in forma et in figura, sequitur conclusio enuntians absolute maiorem extremitatem de minori, sicut absolute enuntiat in premissis extremitas de medio, vel econtra. Item, nulla conditio vel terminus debet poni in conclusione, si non ponitur in premissis, quia hoc esset arguere ex quattuor terminis. Item, si sequitur conclusio cum modificatione, maxime cum modificatione que ponitur in premissis, et cum qua premissae sunt vere. Sed cum tali modificatione eadem posita in premissis et in conclusione contingit premissas esse vera, ut conclusionem esse falsam,

ut arguendo sic: ‘hic Pater formaliter et realiter generat, hic Pater est formaliter et realiter deitas, igitur deitas formaliter et realiter generat’. Ideo aliter dicitur specialiter quoad syllogismos expositorios, qui fiunt in materia divina quod secundum Aristotelem primo Posteriorum. Syllogismi expositorii regulantur per hanc regulam. Medio existente hoc aliquid necesse est extrema coniungi. In syllogismis autem, qui fiunt in proposito, medium non est sufficienter hoc aliquid, sed significat quasi quale quid, quia significat aliquid commune communitati reali. Eadem enim deitas est communis pluribus suppositis, sicut igitur isti syllogismi non valent: „Homo est Socrates, Plato est homo, igitur Plato est Socrates” vel „Homo est Socrates, Plato non est Socrates, igitur Plato non est homo” non valet, quia homo est commune secundum rationem et intentionem, ita in proposito dicendo: „hec deitas etc.”, licet enim ille terminus ‘deitas’ sumatur cum pronomine demonstrativo et significet non aliam et aliam deitatem; tamen simpliciter et equivalenter sumitur medium quasi quale quid, quia hec deitas est realiter communis pluribus suppositis. Ideo, est implicite fallacia consequentis et accidentis, quia ex convenientia aliquorum quasi inferiorum in quoddam communi infertur absolute identitas illorum inter se. Sed hic modus non est universaliter sufficiens. Primo, quia non sufficit ad syllogismos in quibus medium est terminus personalis et notionalis. Verbi gratia, “hic Pater non est Filius, hic Pater est deitas, igitur deitas non est Filius”. Similiter, “hic Pater generat, hic Pater est deitas, ergo deitas generat”. Item, hic modus non sufficit ad syllogismos ex premissis universalibus, in quibus terminus essentialis distribuitur, arguendo sic: “nulla deitas generat, omnis Pater in divinis generat, igitur nullus Pater in divinis est deitas”. Similiter, “omnis essentia divina est Filius, nulla paternitas est Filius, igitur nulla paternitas divina est essentia”, vel sic: “omnis deitas est Filius, Pater est deitas, igitur Pater est Filius”. Maior utriusque syllogismi probatur, quia contradictoria est falsa, scilicet “aliqua deitas vel aliqua essentia divina non est Filius”, vel “non omnis essentia divina est Filius”. Probo, quia cum aliqua deitas sit filius et falsum est quod nulla deitas sit filius, sequitur quod aliqua deitas est deitas que est Filius, et aliqua deitas est que non est Filius, igitur plures deitates. Si enim subcontrarie sunt simul vere, habent subcontrarias singulares veras de eodem subiecto et cum pronomine demonstrativo. Aliter dicitur quod terminus essentialis et communis ut ‘deitas’ vel ‘essentia divina’ potest supponere pro deitate singulorum **[262b]** suppositorum, et sic supponit quasi simpliciter et pro natura communi, vel potest supponere pro singulis suppositis deitatis, vel singulo supposito deitatis, et sic supponit quasi personaliter. In discursu igitur predicto variatur suppositio

arguendo sic: “omnis deitas est Filius, Pater est deitas, igitur Pater est Filius”. Si enim in maiori li ‘deitas’ supponat quasi personaliter pro singulis suppositis deitatis, falsa est. Si vero supponat quasi simpliciter pro deitate, simpliciter vera est. Sed in minori supponit personaliter pro supposito, ideo variatur suppositio, sicut secundum platonicos vel Scotum variatur hic suppositio: “omnis humanitas est de se communis, Socrates est humanitas, igitur Socrates est de se communis”. Quod autem terminus deitatis vel essentie divine sumatur interdum pro natura communi, patet per Magistrum libro 1, distinctione 5, capitulo 1 dicentem, quod « cum dicimus quod nec essentia divina genuit Filium, nec Pater genuit divinam essentiam, hic nomine ‘essentie’ intelligimus divinam naturam que communis est tribus, et tota in singulis ». Sic etiam accipitur extra *De summa trinitate et fide catholica*, capitulo “Damnamus”. Contra: quia in syllogismis predictis premissae sunt vere termino essentiali stante et supponente pro deitate communi, quia deitas est tres persone simul sumpte et est quelibet seorsum, et ita terminus communis essentialis potest sumi in minori pro eo pro quo distribuebatur et supponebat in maiore. Confirmatur arguendo sic: “omnis essentia vel deitas communis tribus est Pater. Filius est essentia communis tribus, igitur Filius est Pater”. Ecce quod medium in utraque premissa sumitur pro natura communi. Item sic: “iste Pater generat, iste Pater est essentia communis tribus, igitur essentia comunnis tribus generat”. Minor patet, quia essentia communis tribus est quelibet persona divisim et coniuncti. Aliter, dicitur quod regula que regulantur processus syllogistici est enuntiatio secundum dici de omni et dici de nullo, secundum Aristotelem primo Priorum. Et ad hanc regulam habent reduci et syllogismi expositorii. Et per dici de omni significat quod nihil est sumere sub subiecto de quo non dicatur predicatum. Et per dici de nullo quod nihil est sumere sub subiecto a quo non removeatur predicatum. In proposito igitur paralogismi, qui sunt facti in materia divina, peccant, quia non regulantur sufficienter per dici de omni et dici de nullo, vel peccant in materia. Verbi gratia, cum dicitur ‘hec deitas’, vel ‘omnis deitas est Pater, Filius est deitas, igitur est Pater’, si maior accipitur ut simpliciter et sufficienter de omni, falsa erit, puta quod omne quod est deitas sit Pater. Similiter, cum dicitur “essentia divina non generat”, si intelligitur “nullum quod est essentia divina generat”, falsum est, quia etiam “omne quod est Pater generet” falsum est, vel quod nihil quod est Pater sit Filius. Ad hunc modum dicendi reducitur ille modus quo aliqui dicunt quod sicut in syllogismis ex terminis communibus communitate rationis sumuntur ista signa ‘omnis’, ‘nullus’, ‘aliquis’ etc. Ita in proposito, quia termini sunt communes communitate reali, loco signorum debent sumi

huiusmodi termini ‘universaliter’, ‘totaliter’, ‘adequate’, ‘nullatenus’, ‘aliquaqualiter’, et tunc una premissarum erit falsa. Contra hunc modum, primo in propositione vere et simpliciter universali reperitur vere et simpliciter dici de omni vel dici de nullo, sed in proposito premissae sunt vere et simpliciter universales, puta arguendo sic: “omnis essentia divina est Pater, omnis essentia divina est Filius, vel omnis Filius in divinis est essentia divina, ergo omnis Filius in divinis est Pater”, igitur hic est vere et simpliciter dici de omni, et tamen conclusio est falsa et premissae sunt vere. Probatur maior, quia si aliqua essentia divina est Pater et non omnis, igitur aliqua essentia divina est Pater, et aliqua essentia divina non est Pater, igitur plures essentiae divine quarum una est Pater et reliqua non est Pater. Eodem modo de isto syllogismo “nulla essentia divina generat, omnis Pater in divinis est essentia divina [263a], igitur nullus Pater in divinis generat”. Maior probatur ut maior precedentis syllogismi. Similiter, arguendo sic: “omnis Pater in divinis distinguitur personaliter a Filio, omnis Pater in divinis est deitas, igitur deitas distinguitur personaliter a Filio”. Maior probatur, quia si aliquis et non omnis Pater distinguitur a Filio, igitur ibi est aliquis Pater qui distinguitur personaliter a Filio, et ibi est aliquis Pater qui non distinguitur personaliter a Filio, igitur qui est personaliter Filius. Secundo, quod ad veritatem universalis affirmative in divinis non requiratur quod nihil sit sumere sub subiecto de quo non dicatur predicatum. Et quod ad veritatem universalis negative in divinis non requiratur quod de quocumque affirmatur subiectum, ab eo removeatur predicatum, et per consequens quod hoc non requiritur ad hoc ut syllogismus non peccet in materia, probo, quia hec non esset vera: “nullus Pater in divinis est Filius” vel “nulla filiatio est paternitas” vel “nulla persona est tres persone”, quia subiectum dicitur de aliquo de quo vere dicitur predicatum. Similiter, hec non esset vera: “omnis deitas seu essentia divina est trinitas vel communicabilis personaliter”. Confirmatur, pari ratione hec esset vera: “aliquis Filius in divinis est Pater”, quia aliquid est Filius quod est Pater et subiectum dicitur de aliquo de quo predicatum. Tertio, iste convertuntur et equivalent: “omnis essentia divina est communicabilis” et “omne quod est essentia divina est communicabile et generaliter omne *a* et *b*” et “omne quod est *a* est *b*” et per consequens eque concedenda vel neganda una sicut altera. Probo tum quia isti termini convertuntur “*a*” et “id quod est *a*”, quia de quocumque predicatum unum et reliquum. Ergo, signo addito utrobique erit propositio eque vera vel eque falsa. Tum quia nulla conclusio universalis affirmativa sufficienter probatur in aliqua scientia, quia diceretur quod quamvis premissa que dicit “omne *a* est *b* sit vera” non tamen ex hoc sequitur quod omne quod est *a* sit *b*, quod tamen requiritur ad debitum

syllogismum secundum te et correspondenter de propositione negativa. Quarto, iste modus non sufficit ad solvendum istos paralogismos “omne illud quod est Pater est Pater, Filius est illud quod est Pater, igitur Filius est Pater”, vel sic: “omne illud quod est Pater est Pater, omne illud quod est essentia est illud quod est Pater, igitur omne illud quod est essentia est Pater”. Conclusio est falsa et premissae sunt vere. Vel sic: “omne illud quod est trinitas est tres persone, Pater est illud quod est trinitas quia est deitas, igitur Pater est tres persone”, vel sic: “omne illud quod generat generat, essentia est illud quod generat, igitur essentia generat”. Quinto, iste modus dicendi habet concedere distinctionem ex natura rei inter essentiam et proprietatem. Probo: secundum te Pater generat, et tamen non omne quod est Pater generat; aut igitur nihil quod est Pater generat, et patet quod non; aut aliquid quod est Pater generat et aliquid quod est Pater non generat, igitur in divinis vere est aliquid et aliquid et unum est Pater et generat, et reliquum est Pater et non generat. Illud autem non est nisi essentia communis tribus personis, quia nec Filius, nec Spiritus Sanctus, quia non sunt Pater, nec est Patris persona solum, quia est Pater sustinendo quartum modum.

Ad primum in oppositum conceditur quod in propositione universali est dici de omni, vel dici de nullo, scilicet illa secundum quem sit et attenditur distributio universalis. Sed in hac propositione “omnis deitas seu essentia divina est Pater”, vel est communicabilis, potest fieri et attendi universalitas et distributio generaliter respectu cuiuscumque quod est essentia divina; vel de quo predicatur vere essentia divina, et sic est falsa, quia Filius est essentia et non est Pater. Nec sequitur quod sit aliqua essentia divina que non sit Pater, sed quod aliquid vel aliqua res vel aliquod suppositum est essentia divina et non est Pater. Alio modo potest huiusmodi uni- **[263b]** - versalitas et distributio fieri et attendi penes quidditatem deitatis abstrahendo a differentiis constitutivis vel distinctivis suppositorum, et attendi respectu absolutorum et essentialium, et eorum que sunt idem essentie convertibiliter et sic est vera, quia oppositum implicaret esse ibi plures deitates et essentias, quarum una esset Pater, et communicabilis et alia non, sed tunc est figura dictionis in argumento, quia minor non debite sumitur sub maiore, sed mutatur quid in ad aliquid, nec in minori accipitur illud intelligibile penes quod vel pro quo attendebatur distributio in maiori. Secundo, igitur modo non est propositio illa sufficienter et perfecte universalis, quia nec infert exclusivam de terminis transpositis, quia non sequitur ‘igitur solus Pater est essentia divina’. Non est igitur perfecte dici de omni, nisi intelligatur distributio primo modo, secundum

autem usum sanctorum et doctorum, et secundum sensum in quo fiunt huiusmodi propositiones attenditur distributio secundo modo.

Ad secundum dicendum quod immo illud requiritur ad hoc quod talis propositio universalis sit vera et conveniens premissa in discursu syllogistico. Ad improbationem dicendum quod hec propositio “nullus Pater in divinis est Filius” vera est in sensu in quo communiter sit, quia sit ut distributio attenditur penes quodcumque suppositum quod est Pater, et penes quodcumque quod est idem Patri convertibiliter, et quod est proprium supposito Patris ut distincto ab omni altero supposito. Sed sic non est sufficiens premissa ad multos syllogismos in divinis. Si vero sumatur ut est sufficienter et perfecte universalis et secundum dici de omni, sic non est vera, et hec distributio proprie explicatur dicendo “nihil quod est idem Patri etc.”. Ad confirmationem: particularitas potest attendi absolute penes aliquod subiectum de quo dicitur Filius, vel penes aliquod suppositum quod sit Filius, seu penes aliquod intelligibile proprium Filio, vel idem Filio convertibiliter primo modo vera esset, sed sic non accipitur communiter a Sanctis et doctoribus. Secundo modo falsa est, et sic accipitur in usu communi.

Ad tertium, conceditur quod equivalent si illa accipitur ut simpliciter et perfecte universalis, et secundum dici de omni simpliciter et perfecte, accipiendo autem illam alteram ut est universalis secundum quid et imperfecte, et secundum acceptionem communem non convertuntur ille, nec equivalent universaliter in divinis, ubi una res est tres res, sed in creaturis equipollent convertibiliter. Ex quo patet ad probationem.

Ad quartum dicitur quod, quamvis maior videatur vera, tamen accipiendo eam ut simpliciter et perfecte universalem, et secundum dici de omni negatur, quia est aliquid sumere sub subiecto de quo non dicitur predicatum, nec etiam infert exclusivam de terminis transpositis, scilicet quod solus Pater sit illud quod est Pater. Item, potest intelligi distributio penes omne suppositum quod est Pater vel penes omne intelligibile quod est idem Patri convertibiliter, et sic est vera. Hec est perfecte universalis, et secundum dici de omni, aut generaliter penes omne cui convenit subiectum et sic negatur. Posset etiam maior intelligi quod illud est Pater, vel idem ei quod est Pater.

Ad quintum, conceditur consequens iuxta dicta in precedenti questione. Ad argumentum in principio questionis conceditur quod inter se sunt eadem aliqua identitate, sed non oportet quod hoc sit idem illi, eo modo quo quolibet divisivi est idem cuidam demonstrato etc.